

Poggii Facetiae

[The following was copied from *The Facetiae of Poggio* (Paris: Isidore Liseux, 1879).]

Ne Aemuli Carpant Facietiarum Opus, Propter Eloquentiae Tenuitatem.

Multos futuros esse arbitror qui has nostras confabulationes, tum ut res leves et viro gravi indignas reprehendant, tum in eis ornatorem dicendi modum et majorem eloquentiam requirant. Quibus ego si respondeam, legisse me nostros Majores, prudentissimos ac doctissimos viros, facetiis, jocos et fabulis delectatos, non reprehensionem, sed laudem meruisse, satis mihi factum ad illorum existimationem putabo. Nam quid mihi turpe esse putem hac in re, quandoquidem in caeteris nequeo, illorum imitationem sequi, et hoc idem tempus quod reliqui in circulis et coetu hominum confabulando conterunt, in scribendi cura consumere, praesertim cum neque labor inhonestus sit, et legentes aliqua jucunditate possit afficere? Honestum est enim ac ferme necessarium, certe quod sapientes laudarunt, mentem nostram variis cogitationibus ac molestiis oppressam, recreari quandoque a continuis curis, et eam aliquo jocandi genere ad hilaritatem remissionemque converti. Eloquentiam vero in rebus infimis, vel in his in quibus ad verbum vel facetiae exprimendae sunt, vel aliorum dicta referenda, quaerere, hominis nimium curiosi esse videtur. Sunt enim quaedam quae ornatius nequeant describi, cum ita recensenda sint, quemadmodum protulerunt ea hi qui in confabulationibus conjiciuntur.

Existimabunt aliqui forsitan hanc meam excusationem ab ingenii culpa esse profectam, quibus ego quoque assentior. Modo ipsi eadem ornatius politiusque describant, quod ut faciant exhortor, quo lingua Latina etiam levioribus in rebus hac nostra aetate fiat opulentior. Proderit enim ad eloquentiae doctrinam ea scribendi exercitatio. Ego quidem experiri volui, an multa quae Latine dici difficulter existimantur, non absurde scribi posse viderentur, in quibus cum nullus ornatus, nulla amplitudo sermonis adhiberi queat, satis erit ingenio nostro, si non inconcinne omnino videbuntur a me referri.

Verum facessant ab istarum *Confabulationum* lectione (sic enim eas appellari volo) qui nimis rigidi censores, aut acres existimatores rerum existunt. A facetis enim et humanis (sicut Lucilius a Consentinis et Tarentinis) legi cupio. Quod si rusticiores erunt, non recuso quin sentiant quod volunt, modo scriptorem ne culpent, qui ad levationem animi haec et ad ingenii exercitium scripsit.

1 Fabula Prima Cujusdam Cajetani Pauperis Naucleri

Cajetani, qui plebei sunt, ut plurimum navigio victum quaerunt. Nauclerus ex eis admodum pauper, cum ad varia loca lucris causa, relicta domi uxore juvencula, et tenui suppellectile, navigasset, post quintum ferme annum rediit. E navi e vestigio ad visendam uxorem (quae interim viri reditum desperans cum alio convenerat), domum proficiscitur. Ingressus, cum eam majori ex parte instauratam in melius auctam vidisset, admiratus, uxorem quaesivit quo modo domuncula, antea informis, esset perpolitata. Respondit statim mulier, sibi in ea re ejus, qui omnibus fert opem, Dei gratiam affuisse: -- 'Benedicatur,' inquit vir, 'Deus, pro tanto hoc

beneficio erga nos suo!' Videns insuper cubile, lectumque ornatiorem, reliquamque supellectilem mundam ultra quam ferret uxoris condicio, cum percontatus esset, unde illa quoque provenissent, et Dei indulgentiam illa sibi subministrasse asseveravit: gratias iterum vir Deo egit, qui tam liberalis in se fuisset. Eodem modo, et aliis quibusdam, quae nova domi et insueta videbantur, conspectis, cum largioris Dei munificentiam affuisse diceret, virque ipse tam profusam erga se Dei gratiam admiraretur, supervenit scitulus puer triennio major, blandiens (ut mos est puerorum) matri. Conspicanti hunc marito sciscitantique quisnam puer esset, suum etiam uxor respondit. Stupenti, quaerentique viro, unde se absente puer provenisset, Dei quoque in eo acquirendo sibi astitisse gratiam mulier affirmavit. Tunc vir indignatus divinam gratiam etiam in procreandis filiis sibi adeo exuberasse: 'Multas jam,' inquit, 'gratias Deo habeo agoque, qui tot cogitationes suscepit de rebus meis.' Visum est homini, Deum nimium curiosum fuisse, qui etiam de comparandis, se absente, liberis cogitarit.

2 De Medico Qui Dementes Et Insanos Curabat

Plures colloquebantur de supervacua cura, ne dicam stultitia, eorum qui canes aut accipitres ad aucupium alunt. Tum Paulus Florentinus: "Recte hos," inquit, "risit stultus Mediolanensis." Cum narrari fabulam posceremus: "Fuit," inquit, "olim civis Mediolani dementium et insanorum Medicus, qui ad se delatos intra certum tempus sanandos suscipiebat. Erat autem curatio hujusmodi: habebat domi aream, et in ea lacunam aquae foetidae atque obscenae, in quam nudos ad palum ligabat eos qui insani adducebantur: aliquos usque ad genua, quosdam inguine tenus, nonnullos profundius pro insaniae modo, ac eos tamdiu aqua atque inedia macerabat, quoad viderentur sani. Allatus est inter caeteros quidam, quem usque ad femur in aquam posuit, qui post quindecim dies coepit resipiscere, ac curatorem rogare ut ex aqua reduceretur. Ille hominem exemit a cruciatu, ea tamen condicione, ne aream egrederetur. Cui cum diebus aliquot paruisset, ut universam domum perambularet, item ut exteriorem januam non egrederetur permisit; reliquis sociis, qui plures erant, in aqua relictis. Paruit diligenter Medici mandatis.

"Stans vero aliquando super ostium, neque enim egredi audebat timore lacunae, advenientem Equestrem juvenem cum accipitre et duobus canibus, ex his qui sagaces dicuntur, ad se vocavit, rei motus novitate, neque enim, quae ante in insaniam viderat, tenebat memoria. Cum accessisset juvenis: 'Heus tu,' inquit ille, 'ausculta, oro, me paucis, ac, si libet, responde: hoc quo veheris, quid est, et quamobrem illud tenes?' -- 'Equus est,' inquit, 'et aucupii gratia.' Tum deinceps: 'Vero hoc quod manu gestas, quid vocatur et in qua re illo uteris?' -- 'Accipiter,' respondit, 'et aucupio aptus querquedularum et perdicum.' Tum alter: 'Hi qui te comitantur, qui sunt, age, et quid prosunt tibi?' -- 'Canes,' ait, 'et aucupio accommodati ad investigandas aves.' -- 'Hae autem aves, quarum capiendarum causa tot res paras, cujus pretii sunt, si in unum conferas totius anni capturam?' Parum quid nescio cum respondisset, et quod sex aureos non excederet, subdit homo: 'Quaenam est equi, canumque et accipitris impensa?' -- 'Quinquaginta aureorum,' affirmavit. Tum admiratus stultitiam Equestris juvenis: 'Ho ho,' inquit, 'abi hinc ocius, oro, atque adeo avola, antequam Medicus domum redeat. Nam si hic te compererit, veluti insanissimum omnium qui vivant, in lacunam suam conjiciet curandum cum caeteris mente captis, atque ultra omnes usque ad mentum in aquam summam collocabit.' Ostendit aucupii porro studium summam esse amentiam, nisi aliquando et ab opulentis, et exercitii gratia fiat."

3 Bonacii Guasci Qui Tam Tarde E Lecto Surgebat

Bonacius, adolescens facetus ex familia Guascorum, dum essemus Constantiae, admodum tarde surgebat e lecto. Cum socii eam tarditatem culparent, quidne tamdiu in lecto ageret, percunctarentur, subridens respondit: 'Litigantes disceptantesque ausculto. Adsunt enim mane mihi e vestigio cum expergiscor duae habitu muliebri, Sollicitudo videlicet et Pigritia; quarum altera surgere hortatur et aliquod operis agere, neque diem in lecto terere; altera priorem increpans, quiescendum asserit, et propter frigoris vim in calore lecti permanendum, indulgendumque corporis quieti, neque semper laboribus vacandum. Prior insuper rationes suas tuetur. Ita ut, cum diutius disputent atque altercentur, ego, tanquam aequus iudex, nullam in partem declinans, audio disputantes, exspectans quoad sint sententia concordēs. Hoc fit ut surgam tardius, exspectans litis finem.'

4 De Judaeo Nonnullorum Suasu Christiano Facto

Judaeum cum multi hortarentur ad Christi fidem, aegre ille bona sua dimittebat. Suadebant complures, ut ea daret pauperibus, quoniam, secundum Evangelicam sententiam, quae esset verissima, centuplum esset accepturus. Persuasus tandem ad fidem conversus est, distributis inter pauperes, egenos et mendicos bonis. Inde per mensem fere hospitio exceptus est honorifice a diversis Christianis; cum ei omnes blandirentur, et laudarent factum. Ille tamen, qui precario viveret, exspectabat in dies centupli promissionem: et cum multos satiētas cibandi hominis cepisset, jamque rarus invitator reperiretur, coepit homo admodum egere, ita ut ei necesse esset divertere ad hospitale quoddam, in quo morbo correptus ad extremum vitae devenit, cum sanguis per posteriora efflueret. Desperans itaque salutem, et simul pollicitationis diffusus centupli, ex anxietate quadam aerem quaerens, egressus est lectum ad secessum ventris in pratulum propinquum: ubi cum constitisset, quaesitis post egestionem ad tergendum anum herbis, invenit involutum linteum refertum pretiosis lapidibus. Quare ditior factus, adhibitis Medicis convaluit, atque domo empta et possessionibus, vixit postmodum in summa rerum opulentia. Cum ergo diceretur ab omnibus, 'Ecce, nonne verum praediximus, tibi Deum centuplum redditurum?' -- 'Reddidit,' inquit ille, 'sed tamen prius ut usque ad interitum cacarem sanguinem permisit.' Dictum contra eos qui tardi in beneficio dando et reddendo existunt.

5 De Homine Insulso Qui Existimavit Duos Cunnos In Uxore

Homo e nostris rusticanus, et haud multum prudens, certe in coitu mulierum rudis, sumpta uxore, cum illa aliquando in lecto renes versus virum volvens, nates in ejus gremio posuisset, erecto telo uxorem casu cognovit. Admiratusque postmodum et rogans mulierem, an duos cunnos haberet, cum illa annuisset: 'Ho, ho,' inquit, 'mihi unus satis est, alter vero superfluus.' Tum callida uxor, quae a Sacerdote parochiano diligebatur: 'Possumus,' inquit, 'ex hoc eleemosynam facere; demus eum Ecclesiae et Sacerdoti nostro, cui haec res erit gratissima, et tibi nihil oberit, cum unus sufficiat tibi.' Assentit vir uxori, et in gratiam sacerdotis, et ut se onere superfluo levaret. Igitur, eo vocato ad coenam, causaque exposita, cum sumpto cibo lectum unum tres ingrederentur, ita ut mulier media esset, vir anteriori parte, posteriori alter ex dono uteretur, Sacerdos famelicus concupitique cibi avidus, prior aggreditur aciem sibi commissam: qua in re uxor quoque submurmurans strepitum quemdam edebat. Tunc vir timens ne partes suas aggrederetur: 'Serva,' inquit, 'amice, inter nos conventa, et tua portione utere, meam intactam

relinquens.' Huic Sacerdos: 'Det mihi gratiam Deus,' inquit, 'nam tua parvi facio, ut bonis tantum Ecclesiae uti possim.' His verbis acquiescens stultus ille, quod Ecclesiae concesserat, libere uti iussit.

6 De Vidua Accensa Libidine Cum Paupere

Hypocritarum genus pessimum est omnium qui vivant. Cum de his semel in coetu me praesente sermo exortus esset, dicereturque omnia hypocritis abundare, qui cum dignitatum atque bonorum ambitione ardeant, tamen simulando ac dissimulando agunt, ut non sponte, sed inviti ac superiorum praecepto honores assequi videantur: tum quidam ex astantibus dixit eos similes Paulo cuidam Beato qui habitabat Pisis, unus ex eis qui vulgo Apostoli vocantur, quorum est consuetudo sedere ad ostium nihil petentes. Cum ut nobis exponeret quis is fuisset rogaemus: "Paulus," inquit, "qui, propter vitae sanctimoniam, Beatus vulgo cognominabatur, sedit aliquando cujusdam viduae ad ostium, quae sibi cibum praebebat in eleemosynam. Illa, conspicata saepius virum (erat enim formosus) exarsit in Paulum, ciboque dato rogavit, ut postridie rediret, se curaturam ut bene pranderet. Cum frequens domum mulieris accessisset, illa tandem rogavit hominem ut intus accederet ad sumendum cibum; annuit hic, et cum opipare ventrem cibo potuque farsisset, mulier, libidinis impatiens, virum amplectitur, osculaturque, asserens non inde abiturum, priusquam se cognoscat. Ille reluctanti similis, ac detestans mulieris ferventem cupiditatem, cum illa obscenius instaret, tandem cedens viduae importunitati: 'Posteaquam,' inquit, 'tantum malum patrare cupis, testor Deum, opus tuum erit: ego procul absum a culpa. Tu ipsa,' inquit, 'cape hanc maledictam carnem' (iam enim virga erecta erat), 'et ipsamet utere, ut lubet: ego enim eam minime tangam.' Ita invitus mulierem subegit, licet propter abstinentiam non tangeret carnem suam, totum peccatum tribuens mulieri."

7 De Equestri Palliato

Ibam semel ad Pontificis Palatium. Transibat quidam e nostris palliatus equester, et forsitan implicitus curis. Hunc quispiam cum detecto capite revereretur, non animadvertit Episcopus. At ille superbia aut arrogantia factum existimans: 'Hic,' inquit, 'asini sui medietatem nequaquam reliquit domi, sed totum secum defert.' Significans eum asinum, qui se reverentibus non responderet.

8 Dictum Zuchari

Perambulantes aliquam urbem vir facetissimus omnium qui viverent Zucharus egoque, pervenimus ad locum ubi celebrabantur nuptiae. Postridie quam sponsa domum venerat, stetimus paululum animi relaxandi gratia, respicientes una psallentes viros ac mulieres. Tum subridens Zucharus: 'Isti,' inquit, 'matrimonium consummarunt, ego jam patrimonium consumpsi.' Facete in se ipsum dixit, qui, venditis paternis bonis, patrimonium omne comedendo ludendoque consumpserat.

9 De Praetore

Quidam iturus Florentiam Praetor, qua die urbem introivit, habuit de more in majori templo coram prioribus civitatis sermonem longum sane et molestum; nam ordiri in suam

commendationem coepit se fuisse Romae senatorem, ubi quicquid ab se, itemque a reliquis in suam laudem honoremque dictum factumve exstiterat, prolixo sermone explicavit. Exitum deinceps ex Urbe comitatumque recensuit: primo die Sutrium contulisse se dixit, et quae ibi a se acta erant singulatim. Tum dietim quo in loco hospitiove fuisset, ac quicquid ab eo gestum, quaque de re esset narravit. Plures horae jam hac in narratione transierant, et nondum pervenerat Senas. Cum omnibus sermonis odiosi longitudo infensa esset, neque finis fieret dicendi, videbatur autem ille universum diem in his fabulis consumpturus, et cum nox jam appropinquaret, tunc unus ex astantibus jocabundus ad aurem Praetoris accedens: 'Domine,' inquit, 'hora jam tarda est, festinetis iter oportet. Nam nisi hodie Florentiam intraveritis, cum hodiernus dies sit vobis constitutus ad veniendum, officium hoc amittetis.' Hoc intellecto, stultus homo ac loquax tandem retulit se Florentiam venisse.

10 De Muliere Quae Virum Defraudavit

Petrus contribulis meus olim mihi narravit fabulam ridiculosam et versutia dignam muliebri. Is rem habebat cum foemina nupta agricolae haud multum prudenti, et is foris in agro saepius ob pecuniam debitam pernoctabat. Cum aliquando amicus intrasset ad mulierem, vir insperatus rediit in crepusculo: tum illa, subito collocato subtus lectum adultero, in maritum versa, graviter illum increpavit, quod redisset, asserens velle eum degere in carceribus: 'Modo,' inquit, 'Praetoris satellites ad te capiendum universam domum perscrutati sunt, ut te abriperent ad carcerem: cum dicerem te foris dormire solitum, abierunt, comminantes se paulo post reversuros.' Quaerebat homo perterritus abeundi modum: sed jam portae oppidi clausae erant. Tum mulier: 'Quid agis, infelix? Si caperis, actum est.' Cum ille uxoris consilium tremens quaereret, illa ad dolum prompta: 'Ascende,' inquit, 'ad hoc columbarium: eris ibi hac nocte, ego ostium extra occludam, et removebo scalas, ne quis te ibi esse suspicari queat.' Ille uxoris paruit consilio. Ea, obserato ostio, ut viro facultas egrediendi non esset, amotis scalis, hominem ex ergastulo eduxit, qui simulans lictores Praetoris iterum advenisse, magna excitata turba, muliere quoque pro viro loquente, ingentem latenti timorem incussit. Sedato tandem tumultu, ambo in lectum profecti ea nocte Veneri operam dederunt; vir delituit inter stercora et columbos.

11 De Sacerdote Qui Ignorabat Solemnitatem Palmarum

Aellum oppidum est in nostris Apennini montibus admodum rusticanum. In eo habitabat Sacerdos rudior atque indoctior incolis. Huic cum ignota essent tempora, annique varietates, nequaquam indixit Quadragesimam populo. Venit hic ad Terram Novam, ad mercatum sabbato ante solemnitatem Palmarum. Conspectis sacerdotibus olivarum ramos ac palmulas in diem sequentem parantibus, admiratus quidnam id sibi vellet, cognovit tunc erratum suum, et Quadragesimam nulla observatione suorum transisse. Reversus in oppidum et ipse ramos palmasque in posterum diem paravit, qui, advocata plebecula: 'Hodie,' inquit, 'est dies, quo rami olivarum palmarumque dari ex consuetudine debent: octava die Pascha erit; hac tantum hebdomada agenda est poenitentia, neque longius habemus hoc anno jejunium, cujus rei causam hanc cognoscite: Carnisprivium hoc anno fuit lentum ac tardum, quod propter frigora et difficultatem itinerum hos montes nequivit superare; ideoque Quadragesima adeo tardo ac fesso gradu accessit, ut jam nil amplius quam hebdomadam unam secum ferat, reliquis in via relictis. Hoc ergo modico tempore, quo vobiscum mansura est, confitemini, et poenitentiam agite omnes.'

12 De Rusticis Nuntiis Interrogatis An Vellent Crucifixum Vivum An Mortuum Ab Opifice Emere

Ex hoc quidem oppido missi sunt quidam Aretium ad emendum ligneum Crucifixum, qui in ecclesia eorum poneretur. Deducti ad hujusmodi opificem quemdam, cum rudes et veluti stipites essent, opifex risus materiam auditis hominibus quaerens, vivumne an mortuum Crucifixum vellent, postulavit. Illi, sumpto paulo temporis ad consultandum, secreto collocti, demum responderunt, se vivum malle: nam si eo modo suo populo non placeret, se illum e vestigio occisuros.

13 Dictum Coci Illustrissimo Duci Mediolanensi Habitum

Dux Mediolani senior, Princeps in omnibus rebus elegantiae singularis, habebat cocum egregium quem usque ad Gallos ad perdiscenda obsonia miserat. Bello, quod ingens cum Florentinis Dux habuit, cum ei aliquando non satis prosper nuntius advenisset, admodum turbavit Ducis mentem. Oblatis postmodum ad mensam epulis, sapes nescio quos cum Dux improbasset, epulas insuper, ut non rite conditas, esset aspernatus, accitum cocum veluti ignarum artis aspere increpavit. Tum ille, ut erat liberior in eloquendo: 'Si Florentini,' inquit, 'tibi gustum atque appetitum auferunt, quae mea est culpa? Cibi enim mei saponi sunt, et summa arte compositi: sed te nimium concalefaciunt, et appetitum auferunt Florentini.' Risit ille, ut erat humanissimus, coci facetam in respondendo libertatem.

14 Ejusdem Coci Dictum Ad Praedictum Illustrem Principem

Idem cocus, bello insuper vigente, jocus ad mensam Ducis, cum videret eum anxium atque afflictum curis: 'Non mirum esse,' inquit, 'illum torqueri: nam duo impossibilia Dux conatur: unum, ne habeat confinia: alterum, ut pinguem reddat Franciscum Barbavaram, hominem opulentum, summaque cupiditate flagrantem.' Hoc dicto perstringens et dominandi appetitum Ducis immoderatum, et Francisci immensam opum atque ambitionis cupiditatem.

15 Petitio Ejusdem Coci Ad Praelibatum Principem

Is ipse cum multi peterent varia beneficii loco, summopere in coena Ducem rogavit, ut se asinum faceret. Miratus Dux quid sibi ea postulatio vellet, cur se asinum quam hominem mallet: 'Atqui omnes video,' inquit ille, 'quos in sublime extulisti, quibus honores et magistratus dedisti, superbia et fastu elatos atque insolentes evasisse asinos. Itaque ego quoque asinus a te fieri cupio.'

16 De Jannoto Vicecomite

Antonius Luscus, vir facetissimus ac doctissimus, cum ei notus quidam litteras apud Pontificem expediendas obtulisset, atque ipse in certo loco corrigere atque emendare jussisset; ille autem postridie litteras easdem retulisset, veluti emendatas, inspectis litteris: "Tu me," inquit, "Jannotum Vicecomitem forsitan putasti." Cum quaereremus quidnam hoc dictum sibi vellet: "Jannotus," ait, "olim Praetor fuit noster Vicentinus, homo bonus, sed corpore et ingenio crasso. Is saepius advocato secretario mandavit scribi epistolam ad Ducem Mediolani seniore, cujus

particulam quamdam ipse dictitabat, quae spectabat ad caerimonias verborum; reliqua committebat secretario, qui afferebat epistolam postmodum scriptam. Eam Jannotus legendam sumens, statimque epistolam veluti inconditam atque ineptam increpans: 'Non bene est,' aiebat; 'perge atque emenda.' Secretarius, qui patroni sui stultitiam novit et mores, paulo post revertens, et eandem epistolam nihilo immutatam ferens, et correxisse se et rescripsisse dicebat. Quam cum ille tanquam lecturus in manus sumeret, inspecta paululum epistola: 'Nunc bene se habet,' inquit, 'vade et obsigna, atque ad Ducem destina.' Hoc in omnibus suis facere consuevit."

17 De Sutore Quodam Vicecomitis Per Viam Comparationis

Commiserat olim Martinus Pontifex Antonio Lusco litteras quasdam conficiendas, quas cum postmodum legisset, iussit Pontifex illas legendas quoque deferri ad quemdam amicum nostrum, in quo plurimum confidebat. Ille autem cum paulo esset in coena concalefactus a vino, litteras penitus improbavit, et alium in modum componi iussit. Tunc Antonius Bartholomeo de Bardis, qui aderat: 'Faciam,' inquit, 'in litteris meis, quod olim sutor in farsitio, quod appellant, Joannis Galeatii Vicecomitis egit: cras antequam edat, vel bibat, redibo, et litterae bene erunt.' Deinde percontanti quidnam hoc esset Bartholomeo: 'Joannes Galeatius Vicecomes,' inquit Antonius, 'pater senioris Ducis Mediolani, erat vir magnus, pinguis et corpulentus. Is cum saepius multo cibo et potu ventrem farsisset, post coenam cum iret cubitum, vocari ad se sutorem suum jubebat, quem acriter redarguens aiebat fecisse illum sibi farsitium nimis arctum, mandabatque ampliari, ne sibi esset molestum: 'Factum erit,' aiebat sutor, 'ut jubes: cras optime erit.' Deinde acceptam vestem projiciebat ad perticam, nihil immutans. Cum dicerent caeteri: 'Cur non amplias vestem hanc quae nimium ventrem Domini urget?' hic: 'Cras,' inquit, 'cum Dominus post digestionem surrexerit, ac ierit cacatum, vestis erit amplissima.' Mane portabat farsitium, quo ille induto: 'Nunc bene est,' dicebat, 'nullo in loco me offendit.' Eodem modo Antonius epistolam suam digesto vino placituras dixit.

18 Querimonia Spolii Causa Ad Facinum Canem Facta

Apud Facinum Canem, qui fuit vir crudelis, ac dux praecipuus in hac nostri temporis militia, querebatur quidam se spoliatum chlamyde in via a quodam suo milite. Hunc intuens Facinus vestitum tunica bona, quaesivit an illam, cum spoliaretur, gestasset. Cum ille annueret: 'Abi,' inquit; 'hic quem dicis te spoliasset nequaquam est ex meis militibus. Nam nullus meus unquam tibi tam bonam tunicam reliquisset.'

19 Exhortatio Cardinalis Ad Armigeros Pontificis

Cardinalis Hispaniensis, bello, quod eo auctore gestum est in Piceno adversus Pontificis hostes, cum aliquando ad aciem ventum esset, in qua vincere vel vinci eos qui Pontificem sequebantur necesse erat, hortabatur milites ad pugnam pluribus verbis, asserens qui in illo praelio cecidissent, cum Deo et Angelis pransuros; peccatorum enim omnium veniam propositam occumbentibus affirmabat, quo morti se alacrius offerrent. His exhortationibus usus, excedebat pugna. Tum unus ex astantibus militibus: 'Cur tu,' inquit, 'non et ad hoc prandium una nobiscum accedis?' At ille: 'Tempus prandii nondum est mihi, quoniam nondum esurio.'

20 Patriarchae Responsio

Patriarcha Hierosolymitanus, qui totam Cancellariam Apostolicam regebat, convocatis aliquando certam ob causam discutiendam advocatis, nonnullos nescio quidem verbis acriter castigavit. Huic cum unus prae caeteris Thomas Biracus liberius respondisset, versus in eum Patriarcha inquit: 'Malum caput habes.' At ille, ut erat homo promptus ad lacesendum ac perfacetus: 'Recte,' inquit, 'ac vere loqueris: nihil enim verius potest dici. Nam, si bonum caput haberem, satis meliori loco res nostrae essent, neque hac opus esset controversia.' -- 'Te igitur culpas?' ait Patriarcha. Tum ille: 'Non me,' inquit, 'sed caput reprehendo.' Facete in ipsum, qui advocatis omnibus praeerat, Patriarcham lusit, qui duro paulum capite existimabatur.

21 De Urbano Pontifice Sexto

Alter Urbanum, olim summum Pontificem Sextum, leviter perstrinxit. Nam cum ille nescio quid acrius a Pontifice contenderet: 'Malo capite es,' inquit Urbanus. Tum ille: 'Hoc idem,' inquit, 'et de te vulgi dicunt homines, Pater Sancte.'

22 De Sacerdote Qui, Loco Ornatus, Capones Episcopo Portat

Episcopus Aretinus, Angelus nomine, quem novimus, aliquando convocavit ad Synodum sacerdotes suos, praecipiens, ut qui aliqua in dignitate essent, cum cappis et cottis (sunt enim hae vestes sacerdotales) ad Synodum proficiscerentur. Quidam Presbyter, cui haec vestimenta deerant, moestus domi erat, ignorans undenam ea sibi pararet. Hunc cogitabundum vultu demisso conspicata ancilla, quam domi nutriebat, cum quaesisset moeroris causam, dixit sibi cum cappis et cottis, secundum Episcopi edictum, eundem ad Synodum esse: 'Atqui,' inquit, 'o bone vir, non recte vim mandati hujus cognovisti: non enim cappas et cottas, sed capones coctos Episcopus postulat, qui tibi sunt deferendi.' Apprehendit Sacerdos muliebri consilium, et secum capones coctos deferens, optime ab Episcopo fuit susceptus, qui per risum retulit, hunc sacerdotem solum rectius quam caeteros edicti sententiam cognovisse.

23 De Amico Qui Aegre Ferebat Multos Sibi Praeferri Doctrina Et Probitate Inferiores

In Curia Romana ut plurimum Fortuna dominatur, cum perraro locus sit vel ingenio, vel virtuti; sed ambitione et opportunitate parantur omnia, ut de nummis sileam, qui ubique terrarum imperare videntur. Amicus quidam, qui aegre ferebat praeferrri sibi multos doctrina et probitate inferiores, querebatur apud Angelotum Cardinalem Sancti Marci, nullam haberi suae virtutis rationem, seque postponi his, qui nulla in re sibi pares essent. Sua insuper studia commemoravit, et in discendo labores. Tum promptus ad lacesendum Curiae vitia Cardinalis: 'Hic scientia et doctrina,' inquit, 'nihil prosunt. Sed perge et aliquod tempus ad dediscendum et addiscendum vitia vaca, si vis Pontifici acceptus esse.'

24 De Muliere Phrenetica

Mulier ex meo municipio, cum videretur phrenetica, ducebatur a viro et genere proximis ad foeminam fatidicam quamdam, cujus ope vel opere curaretur. Cum per Arnum fluvium transituri mulierem supra dorsum hominis validioris imposuissent, coepit illa e vestigio nates movere,

similis coeunti, ac magna voce clamitans: 'Ego,' inquit, saepius verba iterans, 'vellem futui!' quibus vocibus causam expressit morbi. Qui ferebat foeminam, adeo est in risum effusus, ut una cum ea in aquam caderet. Tum ridentes omnes, cum insaniae medelam cognovissent, non esse opus incantationibus asserunt, sed coitu, ad sanitatem restituendam. Et in virum versi: 'Tu,' inquit, 'optimus uxoris curator eris.' Redeuntibus igitur illis, cum vir uxorem cognovisset, mens pristina rediit. Haec optima ad mulierum insaniam est medela.

25 De Muliere Supra Padum Astante

Ferebantur navicula Ferrariam, una cum certis curialibus, duae mulieres, ex his quae serviunt indigentibus. Tum mulier quaedam supra Padum astans, foeminas conspicata: 'O stulti,' inquit, 'an putabatis meretrices vobis Ferrariae defuturas, cum certe plures inveniuntur hic quam Venetiis probae mulieres?'

26 De Abbate Septimi

Abbas Septimi, homo corpulentus et pinguis, vesperi Florentiam proficiscens, interrogavit rusticum obvium, an portam se ingredi existimaret. Intellexit Abbas an putaret se perventurum in urbem, antequam clauderentur portae. Ille vero in pinguedinem jocatus: 'Atqui,' inquit, 'currus faeni, nedum tu, portam introiret.'

27 Civis Constantiae Soror Gravida Facta

Nobilis Episcopus ex Britanniis, ad ostendendam quam tunc multi requirebant Concilii Constantiensis libertatem, in magno Praelatorum conventu hoc attulit testimonium. Fuisse ait Constantiae civem, cujus soror inupta gravida facta erat. Cum fratri tumor ventris innotuisset, accepto gladio, quid id esset, aut unde id prodisset, quaesivit, percussori similis. Tum juvenis exterrita, id esse Concilii opus, seque ex Concilio praegnantem. Hoc intellecto frater, Concilii metu ac reverentia, sororem impunitam reliquit. Cum caeteri aliarum rerum libertatem quaererent, ille praetulit licentiam futuendi.

28 Sigismundi Imperatoris Dictum

Sigismundus quoque Imperator cuidam coram eo querenti Constantiae libertatem non esse: 'Atqui,' inquit, 'nisi hic summa esset libertas, tu tam libere minime loquereris.' Libere enim loqui magnae libertatis est signum.

29 Dictum Sacerdotis Laurentii Romani

Qua die Angelotus Romanus factus est a Pontifice Eugenio Cardinalis, quidam Laurentius sacerdos urbanus domum rediit, hilaris, applaudens, totusque in risum ac laetitiam effusus. Cum rogarent vicini, quidnam sibi obtigisset novi, quod tam laetus et alacris esset: 'Bene,' inquit, 'est; magna in spe sum, posteaquam dementes et insani Cardinales fieri coeperunt, prope diem cum Angelotus amentior me sit, Cardinalem me quoque esse futurum.'

30 Confabulatio Nicolai Anagnini

In hanc ferme sententiam Nicolaus Anagninus jocatus est in Pontificem Eugenium, quem dicebat plurimum stultis et insipientibus favere. Nam cum essemus complures, variis de rebus, ut fit, in palatio confabulantes, quidam iniquitatem Fortunae maxime accusabant, querebanturque eam rebus suis admodum adversam. Tum Nicolaus, vir doctissimus, sed ingenio inconstanti et procaci lingua: 'Nullus est omnium qui vivant,' inquit, 'cui magis quam mihi Fortuna fuerit inimica. Nam cum hoc tempore sit Stultitiae regnum, in diem omnes fere amentes atque insanos, tum Angelotum quoque novimus inter eos ad amplas dignitates atque officia extolli. Ego solus relictus sum ex omnium dementium numero, cui nihil conceditur: hoc mihi solius accidit malignitate Fortunae.'

31 De Prodigio

Monstra hoc anno plura diversis in locis natura edidit. In agro Senagaliensi, in Piceno, bos quemdam serpentem peperit mirae magnitudinis. Capite erat grossiori quam sit vituli, collo longo ad mensuram ulnae, corpore cani similis terete et longiore. Hunc editum cum bos conversa respexisset, magnoque mugitu edito exterrita aufugere vellet, erectus serpens subito posterioribus cruribus cauda circumdatis ad ubera os admovit, tamdiu sugens quoad lac inerat uberibus: deinde bove relicta ad sylvas vicinas aufugit. Ubera postmodum et ea crurium pars quam serpens cauda tetigerat, velut adusta nigraque diutius permanserunt. Hoc pastores (nam in armento bos erat), se vidisse affirmarunt, bovem quoque vitulum postea peperisse; idque ex litteris Ferrariam nuntiatum.

32 Dictum Magistri Hugonis Senensis

Vir insignis Hugo Senensis, Medicorum nostri temporis princeps, mihi quoque retulit, natum Ferrariae cattum bicipitem, seque id conspexisse.

33 Aliud De Monstro

In agro quoque Paduano, mense Junii, constat natum esse vitulum duobus capitibus, unico corpore, posterioribus anterioribusque cruribus duplicatis, ita tamen ut essent conjuncta. Hoc monstrum quidam ad quaestum circumferebant, multique id vidisse affirmabant.

34 Aliud De Monstro

Aliud insuper constat, allatam esse Ferrariam imaginem marini monstri nuper in littore Dalmatico inventi. Corpore erat humano umbilico tenus, deinceps piscis, ita ut inferior pars quae in piscem desinebat, esset bifurcata. Barba erat profusa, duobus tanquam cornibus super auriculas eminentibus, grossioribus mammis, ore lato, manibus quattuor tantum digitos habentibus, a manibus usque ad ascellam atque ad imum ventrem alae piscium protendebantur, quibus natabat. Captum hoc pacto ferebant. Erant complures foeminae juxta littus lavantes lineos pannos. Ad unam earum accedens piscis, ut aiunt, cibi causa, mulierem manibus apprehendens ad se trahere conatus est: illa reluctans (erat enim aqua modica), magno clamore auxilium caeterarum imploravit. Accurrentibus quinque numero, monstrum (neque enim in aquam regredi

poterat) fustibus ac lapidibus perimunt: quod in littus abstractum, haud parvum terrorem aspicientibus praebuit. Erat corporis magnitudo paulo longior ampliorque forma hominis. Hanc ligneam ad nos Ferrariam usque delatam conspexi. Cibi gratia mulierem comprehensam argumento fuere pueri nonnulli, qui cum diversis temporibus ad littus lavandi causa accessissent, nusquam postea comperti sunt, quos postmodum ab eo monstro necatos captosque crediderunt.

35 Pulchra Facetia Histrionis Ad Bonifacium Papam

Bonifacius, Pontifex Nonus, natione fuit Neapolitanus ex familia Tomacellorum. Appellatur autem vulgari sermone *tomacelli* cibus factus ex jecore suillo admodum contrito, atque in modum pili involuto interiore pinguedine porci. Contulit Bonifacius se Perusium secundo sui Pontificatus anno. Aderant autem secum fratres et affines ex ea domo permulti, qui ad eum, ut fit, confluxerant bonorum ac lucri cupiditate. Ingresso Bonifacio urbem sequebatur turba primorum, inter quos fratres erant, et caeteri ex ea familia. Quidam cupidiores noscendorum hominum, quaerebant, quinam essent qui sequerentur. Dicebat unus, item alter: 'Hic est Andreas Tomacellus'; deinde: 'Hic Joannes Tomacellus', tum plures deinde Tomacellos nominatim recensendo. Tum quidam facetus: 'Hohe! permagnum nempe fuit jecur istud,' inquit, 'ex quo tot *Tomacelli* prodierunt et tam ingentes.'

36 De Sacerdote Qui Caniculum Sepelivit

Erat sacerdos rusticanus in Tuscia admodum opulentus. Hic caniculum sibi carum, cum mortuus esset, sepelivit in coemeterio. Sensit hoc Episcopus, et, in ejus pecuniam animum intendens, sacerdotem veluti maximi criminis reum ad se puniendum vocat. Sacerdos, qui animum Episcopi satis noverat, quinquaginta aureos secum deferens, ad Episcopum devenit. Qui sepulturam canis graviter accusans, jussit ad carceres sacerdotem duci. Hic vir sagax: 'O Pater,' inquit, 'si nosceres qua prudentia caniculus fuit, non mirareris si sepulturam inter homines meruit; fuit enim plus quam ingenio humano, tum in vita, tum praecipue in morte. 'Quidnam hoc est?' ait Episcopus. 'Testamentum,' inquit sacerdos, 'in fine vitae condens, sciensque egestatem tuam, tibi quinquaginta aureos ex testamento reliquit, quos mecum tuli.' Tum Episcopus et testamentum et sepulturam comprobans, accepta pecunia, sacerdotem absolvit.

37 De Tyranno Qui Homini Pecunioso Causas Injustas Injecit

Homo admodum pecuniosus erat in Piceno in oppido Cingulo. Audivit hoc Tyrannus loci, atque ad eripiendos nummos animum adjiciens, quaesivit occasionem criminis, qua illi pecunias auferret; vocato ad se viro, dixit illum crimine laesae majestatis reum teneri. Cum nihil contra ejus statum aut dignitatem a se factum contenderet, perstabat Tyrannus, asserens illum capite esse mulctandum. Homo inscius, quidnam tandem egisset, cum postularet: 'Hostes,' inquit, 'meos ac rebelles, qui contra me conspirarunt, domi absconditos tenuisti.' Sensit tandem ille nummis insidias parari. Malens igitur vitae quam pecuniis parcere: 'Verum est,' inquit, 'quod ais, mi Domine; sed destina mecum satellites tuos: ego hostes illos ac rebelles tibi statim comprehensos dabo.' Missos itaque lictores domum ad arculam in qua pecunia erat secum duxit, eaque aperta: 'Capite hos,' inquit, 'e vestigio. Hi sunt enim non solum Domini, sed mei quoque hostes acerrimi ac rebelles.' Quibus relatis ad Tyrannum, homo poenam omnem evasit.

38 De Religioso Qui Sermonem Succinctissimum Habuit

Oppidum est in montibus nostris, in quo multi ex variis locis ad diem festum convenerant. Erat enim celebritas S. Stephani. Religiosus quidam habiturus erat de more sermonem ad populum. Cum hora esset diei tarda, sacerdotes autem esurirent, vererenturque longitudinem sermonis, ascendenti suggestum Religioso unus et item alter, ut paucis loqueretur, in aurem hortati sunt. Ille se exorari facile passus, ac praelocutus quaedam prout consueverat: 'Fratres mei,' inquit, 'anno praeterito, cum hoc in loco, vobis astantibus, verba facerem de sanctitate vitae et miraculis hujus Sancti nostri, nihil praetermisi eorum quae de illo vel audivi, vel in Sacris Libris scripta reperiuntur, quae omnia vos credo memoria tenere. Postmodum vero eum nihil novi fecisse intellexi, signo ergo crucis facto, dicite *Confiteor* et reliqua quae sequuntur.' Et ita abiit.

39 Facetissimum Consilium Minacii Ad Rusticum

Rusticus cum castaneam arborem ad excutiendos fructus ascendisset, decidens ex ea costam effregit pectoris. Hunc ad consolandum accessit Minacius quidam, homo perfacetus, qui inter loquendum daturum se illi normam dixit, qua servata, nunquam ex arbore caderet: 'Vellem hoc antea,' inquit aeger, 'consulisses, attamen in futurum poterit prodesse.' Tum Minacius: 'Fac semper, ne sis celerior in descensu quam in ascensu: sed ea, qua ascendis, tarditate descendas. Hoc pacto nunquam praecipitem te ages.'

40 Ejusdem Minacii Lusoris Responsio

Idem Minacius, cum aliquando nummulos et vestes insuper ad taxillos lusisset (egenus enim erat), flens ad ostium tabernae cujuspiam sedebat. Videns moerentem flentemque amicus: 'Quidnam est tibi?' inquit. 'Nihil,' Minacius ait. 'Curnam ergo, si *nihil* habes, ploras?' -- 'Hoc solum quod *nihil* habeo,' inquit. Admiratus ille: 'Quare ergo si *nihil* habes, ploras?' ait. 'Ob hanc ipsam causam,' respondit, 'quoniam *nihil* est mihi.' Alter *nihil* causae esse cur ploraret intelligebat; alter *nihil* sibi reliquum superesse a ludo plorabat.

41 De Paupere Monoculo Qui Frumentum Empturus Erat

Tempore quo Florentiae summa aliquando erat annonae caritas, accessit pauper luscus ad forum, quaedam sextaria frumenti, ut dicebat, empturus. Rogavit hunc in foro percontantem pretium quidam alter superveniens, quanti sextarium frumenti venderetur: 'Hominis oculo,' inquit, 'constat,' designans his verbis annonae caritatem. Hoc audiens scitulus qui aderat puer: 'Cur tu ergo,' ait, 'tam grandem sacculum portasti, cum non amplius quam unum sextarium possis emere?'

42 Vir Qui Mulieri Dum Aegrota Esset Veniam Postulavit

Consolabatur uxorem vir, quae adversa valetudine diem suum obibat, memorans omnia bona mariti officia sibi in vita praestitisse, veniam postulans, si quid unquam adversus eam inique egisset; neque, inter caetera, se ait omisisse unquam, quin debitum thoro praeberet, eo excepto tempore, quo illa non recte valeret, ne coitu fatigaretur. Tum mulier, licet morbo gravis: 'Hoc,' inquit, 'per fidem nunquam parcam neque remittam tibi: nullo enim tempore adeo invalida atque

infirmam exstiti, quin commode possem resupina jacere.' Danda est igitur viris opera, ne hoc veniae genus ab uxoribus implorent, cum rite negari possit.

43 De Adolescentula Quae Virum De Parvo Priapo Accusavit

Adolescens nobilis et forma insignis duxit uxorem filiam Nerii de Paciis, Equitis Florentini, inter caeteros suae aetatis egregii ac praestantis viri. Post aliquot dies, ut moris est, adolescentula ad patrem revertitur, non alacris, aut jocunda, ut caeterae assolent, sed moesta, ac vultu languido, intuens terram. Advocatam in cubiculo clanculum rogat mater: 'Nunquid res sint satis salvae?' -- 'Ut vultis,' flens juvenula respondit. 'Non enim me viro desponsastis,' ait, 'sed ei cui virilia desunt: nihil enim aut parum habet ejus partis, propter quam fiunt matrimonia.' Dolens admodum fortunam filiae, mater rem cum viro communicat. Deinde re, ut fit, inter consanguineos mulieresque quae ad convivium aderant vulgata, moestitia doloreque omnis impletur domus, cum non nuptam, sed suffocatam adolescentulam egregiam forma dicerent. Supervenit postmodum vir, cujus gratia convivium parabatur, et cum omnes vultu moerenti atque afflicto conspiceret, miratus rei novitatem, quidnam novi accidisset rogabat. Nullus erat qui causam doloris auderet fateri: unus tandem liberior ait dixisse puellam, mancum esse illum in virili sexu. Tum juvenis alacer: 'Nequaquam,' inquit, 'erit haec causa quae aut vos conturbet, aut convivium disperdat. Cito hoc purgabitur crimen.' Cum in mensa omnes sederent viri pariter ac mulieres, sumptis jam fere cibis, surgens adolescens: 'Patres,' inquit, 'sentio me culpari in ea re, cujus vos testes esse an vera sit volo.' Deinde educto formae egregiae Priapo (vestibus enim curtis tunc utebatur), ac supra mensam posito, omnes ad rei novitatem magnitudinemque convertit, et, an culpandus aut rejiciendus esset, quaesivit. Major mulierum pars, ut viris suis talis copia inesset, optabant. Viri permulti se ab illo tali suppellectili superari sentiebant, qui omnes in adolescentulam conversi, graviter illius stultitiam increpabant. Tum illa: 'Quid objurgatis? aut quid me reprehenditis?' inquit. 'Asellus noster, quem ruri nuper conspexi, bestia est, et adeo' (extenso brachio) 'oblongum membrum habet: hic vir meus, qui homo est, non habet ejus medietatem.' Credidit simplex puella, hominibus longius quam bestiis ejusmodi membrum inesse debere.

44 De Praedicatore Qui Potius Decem Virgines Quam Nuptam Unam Eligebat

Praedicabat Tibure Frater parum consideratus ad populum, aggravans multis verbis ac detestans adulterium, dixitque inter caetera, adeo esse grave peccatum, ut mallet decem virgines cognoscere quam unicam mulierem nuptam. Hoc et multi, qui aderant, elegissent.

45 De Paulo Qui Ignorantibus Nonnullis Luxuriam Commovit

Alter, Paulus nomine (quem ipse novi), cum Seciae urbe Campaniae in quadam concione luxuriam detestaretur, nonnullos adeo lascivos atque intemperantes dicebat, ut ad eliciendam majorem ex coitu voluptatem, natibus uxoris pulvinum subjicerent. Hoc dicto adeo nonnullos (qui id ignorabant) commovit, ut paulo post id verum esse experirentur.

46 De Confessore

Mulier adolescens, quae id mihi postmodum retulit, profecta est aliquando ad confitendum

peccata sua, prout fit tempore Quadragesimae. Cum inter loquendum se viro non servasse fidem diceret, statim Confessor, qui frater erat, libidine incensus, protento pallio, Priapum erectum in manu adolescentulae posuit, suadens ut sui misereretur. Illa rubore perfusa abiens, matri, quae haud procul erat, roganti, quidnam tantus rubor sibi vellet, narravit Confessoris suasionem.

47 Responsio Mulieris Faceta

Interrogata semel a viro mulier, quaenam causa esset, cur, cum in coitu voluptatis ita particeps esset foemina sicut et vir, tamen homines citius peterent sequerenturque mulieres quam illae viros? Tum illa: 'Summa cum ratione hoc institutum est,' inquit, 'ut potius nos requiramus a viris. Constat enim paratas ac promptas nos ad concubitum semper esse, vos autem non: frustra igitur viri peterentur a nobis, cum essent imparati.' Scita facetaque responsio.

48 De Mendico Fratre, Qui Tempore Belli Bernardo Pacem Nominavit

Bello, quod primum Florentini cum Duce Mediolani posteriore habuerunt, sancitum est, capitale esse, si quis de agenda pace verba fecisset. Bernardus Manecti, civis facetissimus, erat in foro veteri, nescio quid empturus. Accessit ad eum frater quidam ex his mendicis circumforaneis, qui in triviis astantes aliquid sibi a transeuntibus dari in necessarios usus petunt, ac quippiam petiturus primis verbis: '*Pax tibi*,' inquit. Tum Bernardus: 'Quid tu pacem nominasti? An nescis capitale esse, si quis de pace loquatur? Abeo,' inquit, 'ne quis me culpae affinem putet.' Hoc dicto recedens, a nebulonis illius molestia se exemit.

49 Fabula Francisci Philelphi

Erat sermo inter socios, quae poena esset statuenda in uxores impudicas. Bonifacius Salutatus eam, qua Bononiensis amicus suus minatus est se uxorem suam affecturum, existimabat. Sciscitantibus nobis poenam: 'Bononiensis,' inquit, 'vir haud magno existimandus, habuit uxorem satis liberalem, et mihi quandoque obsequentem. Cum accessissem domum aliquando noctu, foris stans, audivi eos acriter collitigantes: increpabat enim vir uxorem, accusans impudicitiam ejus. Illa, ut moris est talium, negando se tuebatur. Tum vir inter clamandum: 'Joanna, Joanna,' ait, 'ego te neque verberabo, neque percutiam, sed in tantum refutuam, quoad plenam domum filiis reddam, atque ita solam te cum natis relinquam postmodum, et abibo.' Risimus omnes genus supplicii adeo exquisitum, quo stultus ille ulturum se uxoris flagitia putavit.

50 Cardinalis Burdigalensis De Histrione

Gregorius XII, antequam Pontifex crearetur, in Conclavi, et postea quoque, plurima se facturum pollicitus est pro schismate, quod tunc in Ecclesia vigeat, atque adeo aliquibus diebus in eo quod promiserat permansit, ut etiam Pontificatui se cessurum, si opus esset, sponderet. Postmodum vero dulcedine ductus dignitatis, juramenta et promissiones omnes irritas fecit, nihil servans eorum quae antea pollicebatur. Hoc aegre ferens Cardinalis Burdigalensis, vir gravis et consilii singularis, mecum de hisce rebus aliquando loquens: 'Hic,' inquit, 'nobis effecit, quod histrio quidam Bononiensibus se asserens volaturum.' Cum reserari mihi fabulam rogarem: 'Histrionem fuit nuper Bononiae,' ait, 'qui, proposito palam edicto se volaturum ex turri quadam, quae est versus pontem S. Raphaelis, milliari amplius extra urbem, praedixit. Congregato ad diem

constitutum omni ferme Bononiensi populo, sole et fame, usque ad occasum solis, homines ludendo maceravit. Pendebant omnes animi suspensi ad aspectum turris, volatum hominis exspectantes. Cum ille interim in turris cacumine ostenderetur, alasque quateret volaturo similis, seque deorsum projecturum fingeret, erat magna ad haec signa populi acclamatio, patulo ore turrim aspicientis. Tum histrio, post solis tandem occasum, ne nihil actum videretur, versis ad eos renibus, culum populo ostentavit. Ita illusi omnes, inedia, et taedio confecti, in urbem noctu redierunt. Eodem modo Noster,' inquit, 'qui post tot ostentationes, tandem nobis posteriora ostendendo satisfecit.'

51 Responsio Redolphi Ad Bernabovem

Redolphi Camerinensis dictum prudens refertur. Obsidebatur civitas Bononiensis a Bernabove, ex familia Vicecomitum Domini Mediolani. Erat autem ad custodiam civitatis dux positus a Pontifice Redolphus, vir bello et pace egregius, qui se intra moenia continebat ob civitatis tutelam. Levi semel per excursos commisso praelio a quo Redolphus aberat, captus eques ad Bernabovem ductus est. Interrogabat ille inter caetera, cur non egrederetur ad bellum Redolphus? Eques, cum unam ac alteram causam attulisset, tandem dimissus rediit in civitatem. Tum Redolphus sciscitans quid in castris hostium ageretur, et quae verba Bernabovis ad eum fuissent, cum intellexisset responsionem equitis, egressum suum varie excusantem: 'Non bene,' inquit, 'neque prudenter respondisti. Vade, dic Bernabovi: *Redolphus ait se ideo urbem non egredi, ne tu ingredi queas.*'

52 Alia Responsio Faceta Redolphi

Idem bello, quod Florentini cum Gregorio decimo Pontifice gesserunt, diversas partes secutus, nunc uni, nunc alteri haerebat. Interrogatus a quodam cur adeo nutans ita saepe se commutaret: 'Quoniam,' inquit, 'in eodem latere diutius jacere non possum.'

53 De Eodem Quomodo A Florentinis Pro Proditore Depictus Est

Florentinis postmodum proditoris habitus reus, publicis in locis urbis, ut proditor, depictus fuit. Cum vero haud multo post sentiret mitti Oratores ad se Florentinos de pace acturos, qua die ad se venturi erant, thalamum ingressus, clausis fenestris, igne accenso (erat autem mensis Augusti), sese pelliceis vestibis cooperiri in lecto iussit. Vocatis deinde Oratoribus, quaerentibus quonam morbo laboraret: Frigore, respondit, quod tamdiu in eorum muris etiam nocte ad aerem discoopertus stetisset. Hoc dicto illorum lusit picturam, quae postea ex pacto deleta est.

54 De Quodam Qui Redolphum Sagittando Vulneravit

Viri nonnulli Camerinenses extra urbem exercitii causa sagittando tempus terebant. Cum quispiam sagittam incautius emisisset, astantem procul Redolphum leviter vulneravit. Capto illo, cum variae de poena inferenda sententiae dicerentur, et, ut quisque acerrime sentiret, ita se maxime Principi gratificaturum putaret, unus censuit manum illi esse amputandum, ne amplius arcu uteretur. Redolphus liberum hominem dimitti iussit, dicens, illam futuram fuisse utilem sententiam, si id ante acceptum vulnus consilium dedisset. Plena prudentiae et humanitatis responsio.

55 Fabula Mancini

Mancinus, vir rusticus, oppidanus meus, frumento ad Figignum Castrum asellis vehendo exercebatur, quos ille compluries ad vecturam sumebat. Cum ille semel a mercato rediens, fessus e via ascendisset asinum quemdam praestantiorem, computatis in via asinis qui praeibant, domo appropinquans, eoque quo vehebatur minime annumerato, visum est ei unum deesse. Turbatus igitur ac reliquis asinis uxori quos restitueret commendatis, confestim eodem asino quo ferebatur ad mercatum septem millibus passuum retrocedit, quaerensque a singulis obviis an asinum quempiam amissum reperissent. Cum omnes negarent, domum noctu moerens et dolens jacturam asini rediit. Tandem etiam ab uxore admonitus cum descendisset, illum, quem tanto studio et dolore asinum quaesierat, esse cognovit.

56 De Illo Qui Aratrum Super Humerum Portavit

Alter, Pierus nomine, admodum incultus, cum usque ad meridiem arasset, fessis bobus, et ipse labore fatigatus, rediturus in oppidum, aratrum super asellum alligat, deinde asellum, praemissis bobus, ascendit. Qui cum nimio onere gravatus sub pondere deficeret, sentit tandem Pierus asellum ire non posse. Tum descendens atque aratrum super humerum ponens, rursus asellum ascendit, inquit: 'Nunc recte ambulare potes, non enim tu, sed ego aratrum fero.'

57 Responsio Elegans Dantis, Poetae Florentini

Dantes Alligerius, poeta noster Florentinus, aliquamdiu sustentatus est Veronae opibus Canis veteris Principis de la Scala, admodum liberalis. Erat autem et alter penes Canem Florentinus, ignobilis, indoctus, imprudens, nulli rei praeterquam ad jocum risumque aptus, cujus ineptiae, ne dicam facetiae, Canem perpulerant ad se ditandum. Cum illum veluti belluam insulsam, Dantes, vir doctissimus, sapiens ac modestus, ut aequum erat, contemneret: 'Quid est' inquit ille, 'quod tu, cum habearis sapiens ac doctissimus, tamen pauper es et egenus, ego autem stultus et ignarus divitiis praesto?' Tum Dantes: 'Quando ego reperiam dominum,' inquit, 'mei similem et meis moribus conformem, sicuti tu tuis, et ipse similiter me ditabat.' Gravis sapiensque responsio! Semper enim domini eorum consuetudine qui sibi sunt similes delectantur.

58 Ejusdem Poetae Faceta Responsio

Huic ipsi inter seniore aliquando junioremque Canes prandenti, cum ministri utriusque, dedita opera, ante pedes Dantis, ad eum lacessendum, ossa occulte subjecissent, remota mensa, versi omnes in solum Dantem, mirabantur, cur ante ipsum solummodo ossa conspicerentur. Tum ille, ut erat ad respondendum promptus: 'Minime,' inquit, 'mirum, si Canes ossa sua comederunt: ego autem non sum Canis.'

59 De Muliere Obstinata Quae Virum Pediculosum Vocavit

Colloquebantur aliquando de pertinacia mulierum, quae ita quandoque perstant animo indurato, ut se mori malint quam cedere ex sententia. Tum unus: 'Mulier quaedam e nostris,' inquit, 'admodum viro contraria, semper verbis ejus objurgando refragabatur, perstans in eo quod coeperat, ita ut superior esse vellet. Habita semel cum viro gravi altercatione, maritum

pediculosum vocavit. Ille, ut verbum id retractaret, uxorem verberibus contendebat, pugnis caedens ac calcibus. Quo magis caedebatur, eo plus illa pediculosum appellabat. Vir tandem verberando lassus, ut uxoris pertinaciam superaret, per funem in aquae puteum demisit, suffocaturum se dicens, nisi verbis ejusmodi abstineret. Instantius perseverabat, etiam in aqua mentum usque constituta, verbum illud continuans. Tum vir, ne amplius loqui posset, in puteum demersit, tentans si eam mortis periculo a verborum pertinacia posset avertere. At illa, loquendi facultate adempta, etiam dum suffocaretur, quod loqui nequibat, digitis exprimebat; nam manibus super caput erectis, atque unguibus utriusque pollicis conjunctis, saltem quod potuit gestu, viro pediculos objiciebat. Unguibus enim eorum digitorum pediculi a foeminis occidi consueverunt.'

60 De eo qui uxorem in flumine peremptam quaerebat

Alter, uxorem quae in flumine perierat quaerens, adversus aquam proficiscebatur. Tum quidam admiratus, cum deorsum secundum aquae cursum illam quaeri admoneret: 'Nequaquam hoc modo reperietur,' inquit. 'Ita enim, dum vixit, difficilis ac morosa fuit, reliquorumque moribus contraria, ut nunquam nisi contrario et adverso flumine etiam post mortem ambulasset.'

61 De rustico qui nobilem se fieri quaerebat

Petebat a Duce Aurelianensi subrusticus moribus et vita incultus quidam, qui ei serviebat, ut se nobilem faceret. Id fit apud Gallos emptis possessionibus, ex quibus solis ruri vitam nobiles ducant. Tum Dux, qui naturam hominis callebat: 'Divitem,' inquit, 'te facillime possem facere; nobilem nunquam possem.'

62 De Guilhelmo qui habebat priapeam suppellectilem formosam

Erat in oppido nostro Terrae Novae vir nomine Guilhelmus, faber lignarius, Priapea suppellectile satis copiosus. Divulgaverat hoc uxor inter vicinas. Ea mortua, duxit aliam uxorem juvenulam simplicem, Antoniam nomine, quae desponsata praesenserat ex vicinis ingens viri telum. Qua ergo nocte primo cum viro concubuit, tremebunda nolebat haerere viro, neque coitum pati. Sensit vir tandem quid timeret adolescentula, consolatusque illam, verum esse quod audierat, ait, sed duas se mentulas habere, parvam ac majorem quamdam. 'Ne te ergo offendam,' ait, 'utar hac nocte parva, quae tibi minime nocebit; postea majori, si tibi videbitur.' Consentiens puella obsecuta est viro, absque clamore aut nocumento aliquo. Post mensem vero facta liberior atque audentior, cum noctu viro suo blandiretur: 'Mi vir,' inquit, 'si libet, majore jam illo socio utaris.' Risit vir, cum semiasellus in ea re videretur, bonum uxoris appetitum: hoc postea narrantem audivi in aliorum coetu.

63 Responsio unius mulieris Pisanae

Sambacharia mulier Pisana fuit, prompta ad respondendum. Accedens histrio quidam ad illudendum ei: 'Praeputium,' inquit, 'asini vos salutat.' Tum illa e vestigio: 'Ohe!' inquit, 'sane unus ex suis nuntiis videris.' Quo facete dicto abiit.

64 Dictum Matronae Quae Vestes Adulterae Ad Fenestras Conspexit

Mulier adultera expanderat mane ad fenestras varii generis vestimenta ab adultero data. Matrona ante domum transiens, conspectis tot vestibibus: 'Sicut aranea telas, ita haec,' inquit, 'vestes suas culo effecit, pudendorum artificium omnibus ostentans.'

65 Monitio Cujusdam

Rogabat quidam contribulem meum virum facetum tempore vindemiae, ut sibi vasa quaedam vinaria mutuo concederet. Tum ille inquit: 'Do uxori expensas per universum annum, ut ea in Carnisprivio uti possim.' Monuit hoc dicto non esse postulandas ab aliis eas res, quarum usus esset eis necessarius.

66 Dictum Perusini Ad Uxorem

Perusini habentur viri faceti ac perurbani. Rogavit maritum uxor, Petrucia nomine, ad diem festum postridie profectura, ut sibi calceos novos emeret. Annuit vir ejus, et simul jussit, antequam domo abiret, mane gallinam in prandium coqui. Uxor, cum cibum parasset, ostium egressa, conspectoque simul quem summe adamabat juvene, domum regreditur, dato signo, ut se intus, cum vir abesset sequeretur; et, ne longior mora esset, ascensis scalis se ad terram prostravit, ita ut ex ostio posset conspici. Superimposito autem juvene, clunes ejus cruribus ac pedibus amplexa, concupito operi intendebat. Vir interim existimans uxorem ad festivitatem jam profectam, et simul tardius redituram, socium rogavit ad prandium, dicens uxorem prandio esse fallendam. Cum domum pergerent, vir prius ingreditur, visaque apud scalas uxore supra juvenem pedes commovente: 'Ohe! Petrucia,' inquit, 'per culum asini!' (ut mos est illis jurandi) 'si hoc modo ambulaveris, nunquam istos calceos consumes.'

67 Perfacetum Dictum Cujusdam Adolescentis

Querebatur rusticana mulier anserulos suos non se bene habere, fascinatos verbis cuiusdam vicinae, quae, cum illos collaudasset, nequaquam postea addidisset: *Deus eos benedicat*, prout vulgo dici solet. Haec cum adolescens audisset: 'Nunc causam video,' inquit, 'cur mihi mentula aegrius se habuit his diebus admodum debilitata. Nam cum eam quispiam laudasset, nequaquam addidit ejusmodi benedictionem, quo factum est, ut fascinatam putem, cum postmodum nunquam erexit caput. Benedic ergo eam, te rogo,' ait, 'quo priores recuperet vires.'

68 De Viro Stolido Qui Simulantem Vocem Credidit Se Ipsum Esse

Pater cuiusdam amici nostri cognoscebat mulierem viro insulso ac balbutienti nuptam. Semel cum noctu ad eam accederet, credens virum abesse, ostium palam pulsavit, simulans viri vocem, ac sibi aperiri ostium petiit. Vir autem stolidus, domi existens, audita illius voce: 'Joanna, aperi, Joanna, introduc illum,' inquit: 'nam videtur idem, qui ego, esse.'

69 De Rustico Qui Anserem Venalem Deferebat

Rusticum adolescentem, qui Florentiae anserem deferebat venalem, conspicata mulier, quae sibi

faceta videbatur, ridendi hominis gratia rogavit, quanti anserem faceret. At ille: 'Quod facillime,' inquit, 'persolvas.' -- 'Quid est?' inquit mulier. 'Unico,' ait ille, 'coitu.' -- 'Jocaris,' respondit mulier, 'sed domum ingredi, et de pretio conveniemus.' Ingressus domum, cum perstaret in sententia, mulier pretio annuit. Verum cum superiores partes egisset, petito ansere, rusticus se negat daturum; non enim se mulierem subagitasse, sed se ab ea compressum dixit. Igitur, redintegrata pugna, munere sessoris fungitur adolescens. Iterum ex conventu mulier cum anserem postulasset, renuit adolescens, pari ratione se cum illa esse asserens; non enim se pretium accepisse, sed repulisse injuriam illatam; nam se prius a muliere subactum. Cum longior progredieretur contentio, superveniens vir sciscitatur, quoniam haec sit controversia: 'Cupiebam,' inquit uxor, 'tibi coenam opiparam parare, nisi hic maledictus impediret: convenerat enim mecum in viginti solidis; nunc, postquam introiit domum, mutata est sententia, duos amplius requirit.' -- 'Eia,' inquit vir, 'tam parva res impedit coenam nostram! Accipe,' inquit, 'quodlibet.' Ita rusticus pretium abstulit et concubitum uxoris.

70 De Avaro Qui Urinam Degustavit

Curialis unus e nostris notae avaritiae saepe mensam familiae accedebat, dum comederet, degustans vinum, an satis aquatum esset: simulabat autem se id agere, ut bono vino uterentur. Hoc cum animadvertissent nonnulli, tandem communicato consilio recentem quandoque urinam pro vino in mensa supposuere, qua hora venturum hominem suspicabantur. Accessit ille more suo, et cum urinam bibisset, nauseans ac semieructans, magno clamore abscessit, minatus multa illis qui haec conati essent. Illi vero risu coenam finierunt. Hoc ejus rei machinator mihi postmodum retulit multo cum risu.

71 De Quodam Pastore Simulatim Confitente

Pastor ovium, ex ea Regni Neapolitani ora quae olim latrociniis operam dabat, semel Confessorem adiit, sua peccata dicturus. Cum ad sacerdotis genua procubisset: 'Parce mihi,' inquit ille lacrimans, 'Pater mi, quoniam graviter deliqui.' Cum juberet dicere quid esset, atque ille saepius id verbum iterasset, tanquam qui nefarium admisisset scelus, tandem hortatu sacerdotis ait, se cum caseum faceret jejunii tempore, ex pressura lactis guttas quasdam quas non spuisset in os desiliisse. Tum sacerdos, qui mores illius patriae nostrae, subridens, cum dixisset graviter illum deliquisse, qui Quadragesimam non servasset, quaesivit numquid aliis obnoxius esset peccatis. Abnuente pastore, rogavit, num cum aliis pastoribus quemquam peregrinum, ut mos est illius regionis, transeuntem spoliasset aut peremisset: 'Saepius,' inquit, 'utraque in re cum reliquis sum versatus; sed istud,' ait, 'apud nos est ita consuetum, ut nulla conscientia fiat.' Cum utrumque grave facinus Confessor asseveraret, ille ut rem levem latrocinia et hominum caedem, quae apud eos usu probarentur, existimans, solius lactis veniam petebat. Res pessima consuetudo peccandi, quae etiam illa errata levia reddit, quae sunt gravissima.

72 De Lusore Propter Lusum In Carcerem Truso

Est in oppido Terrae Novae certa constituta poena his qui luserunt ad talos. Quidam notus meus, in ludo deprehensus, contracta poena, in carcerem trusus fuit. Cum peteretur ab eo, cur ibi reclusus esset: 'Hic noster Praetor,' inquit, 'quia quod meum erat lusi, me in carcerem posuit. Quidnam hic ageret, si luissem suum?'

73 De Patre Filium Ebrium Redarguente

Pater, cum filii ebrietatem saepius nequicquam redarguisset, conspecto semel in via ebrio, erectis verendis, turpiter jacente, pueris quoque permultis qui circumstabant ridentibus atque illudentibus, filium ad tam verecundum spectaculum vocavit, existimans hoc exemplo ab ebrietate deterreri eum posse. Ille autem, viso ebrio: 'Rogo, pater,' inquit, 'ubi est id vinum, quo iste ebrius factus est, ut ego etiam ejus vini dulcedinem degustem?' non ebrii turpitudine absteritus, sed vini cupiditate commotus.

74 De Adolescente Perusino

Hispinam quoque Perusinum, adolescentem nobilem atque admodum dissolutum, cum opprobrio caeteris ex ea familia esset, ad se vocavit semel Simon Caeculus, cognatus ejus, senex magnae auctoritatis atque admodum prudens: et cum rationibus multis adolescentem ad meliorem vitam hortatus esset, detestans vitia, virtutes vero collaudans, postquam tandem peroravit: 'Simon,' inquit ille, 'composite atque ornate admodum, sicuti virum eloquentem decet, fecisti verba: verum centies jam pulchriores orationes in hanc sententiam audivi, et tamen nihil eorum quae dicebantur unquam facere volui.' Nihil amplius superior exemplo quam hic verbis profuit.

75 De Duce Andegavensi Qui Pretiosam Supellectilem Redolpho Ostendit

Erat sermo aliquando in coetu doctorum virorum reprehendentium inanem eorum curam, qui multum studii operaeque in quaerendis emendisque pretiosis lapidibus ponunt. Hic quidam: 'Recte,' inquit, 'Redolphus ex Camerino Ducis Andegavensis, cum ad Regnum Neapolitanum proficisceretur, stultitiam monstravit. Cum enim Redolphus ad eum visendum in castra venisset, ostendit ei Dux pretiosam admodum supellectilem, interque caetera margaritas, saphiros, carbunculos, et caeteros lapides, magno qui in pretio habentur. His conspectis, quaesivit Redolphus quanto lapides illi existimarentur et quid utilitatis afferrent. Magnum quid aestimari Dux respondit, sed nihil afferre lucri. Tum Redolphus 'Ostendam tibi,' inquit, 'duos lapides decem florenorum, qui mihi annuatim ducentos reddunt,' ac deinde cum Ducem haec admirantem ad molendinum quod ipse construi fecerat, duxisset, duos molares lapides ei ostendit, dicens illos esse, qui suorum pretiosorum utilitatem virtutemque superarent.

76 De Eodem Redolpho

Hic ipse cuidam Camerinensi, qui visendi causa orbem peragrarare cupiebat, jussit usque Maceratam oppidum proficisci. Quod ille cum effecisset: 'Orbem,' inquit, 'terrarum universum conspexisti,' nihil esse aliud asserens mundum hunc quam colles, convalles, montes, planitiem, culta atque inculta loca, nemora et sylvas, quae omnia eo loci spatio continentur.

77 Facetissimum Dictum Cujusdam Perusini

Erat Perusino cuidam dolium vini sapidi et boni admodum parvum. Ad eum pro vino cum quidam puerum cum vase majusculo destinasset, sumpto in manibus vase, atque ad nares admoto: 'Ohe!' inquit, 'vas istud admodum foetet. Nunquam in hoc vinum meum infundam: vade atque ad eum qui te misit istud reporta.'

78 Contentio Duarum Meretricum De Tela Linea

Duae Romanae mulieres, quas novi, diversa aetate et forma, iverunt domum Curialis cujusdam e nostris, voluptatis ac praemii causa. Is cum pulchriorem bis cognovisset, alteram semel tamen attigit; tum, ne se spretam putaret, tum ut iterum rediret cum socia. Abeuntibus telam lineam dono dedit, non discernens quanta esset futura cuique portio. In divisione, clancula contentio orta est inter foeminas, altera duas partes, secundum opus exactum, altera medietatem secundum personas postulante. Diversae utrinque variaeque rationes afferebantur, cum una majorem se laborem perpassam esse, reliqua parem fuisse contenderet. Ex verbis ad verbera devenerunt, ac unguium capillorumque certamen. Primo vicini, inde etiam mariti concurrunt, dissidii causam ignorantes, utraque sibi verborum contumeliam illatam asserente. Viris suae cujusque uxoris causam tuentibus, mulierum pugna ad viros descendit: vectibus ac lapidibus acta res est, donec concurrentium interventus praelium diremit. Viri, dissensionis causam ignorantes, inimicitiam servant reclusi in caveis, more Romano. Pannus est apud quemdam ob rem indiscussam nondum divisus, sed occulte a mulieribus de dividendo agitur. Quaeritur a doctoribus quid sit juris?

79 De Gallo Et Vulpe

Esuriens quondam Vulpes, ad decipiendas gallinas, quae, Gallo duce, arborem excelsiorem quo sibi aditus non erat, ascenderant, ad Gallum blande accessit, quem comiter quum salutasset: 'Quid in excelso agis?' inquit. 'Numquid non audisti nova haec recentia tam salutaria nobis?' -- 'Nequaquam,' Gallus cum respondisset, 'atque praenuntia.' -- 'Huc accessi,' ait, 'ad communicandum tecum alacritatem. Animalium omnium concilium celebratum est, in quo pacem perpetuam omnium animantium inter se firmarunt, ita ut, omni sublato timore, nulli ab altero insidiae aut injuriae fieri amplius queant, sed pace et concordia omnes fruuntur. Licet abire unicuique, vel soli, quo velit, secure. Descendite igitur, et hunc festum agamus diem.' Agnita Vulpis fallacia Gallus: 'Bonum,' inquit, 'affers nuntium et mihi gratum,' et simul collum altius protendens, prospecturoque longius et admiranti similis, in pedes se erexit. 'Tu quidnam aspicias?' Vulpes cum dixisset, -- 'Duos,' inquit, 'magno cursu, ore patulo adventantes canes.' Tum tremebunda Vulpes: 'Valete,' inquit, 'mihi fuga expedit, antequam illi adveniant,' et simul coepit abire. Hic Gallus: 'Quonam fugis, aut quid times?' ait, 'siquidem pace constituta, nihil est timendum.' -- 'Dubito,' inquit Vulpes, 'an canes isti audierunt decretum pacis.' Hoc pacto, dolo illusus est dolus.

80 Facetum Dictum

Vir in dicendo liberior, cum quid audacius loquens in palatio Pontificis, gestu jocoque dissolutiori uteretur: 'Quid ais?' inquit socius quidam, 'stultus quidem diceris.' Tum ille: 'Hoc,' inquit, 'permagni lucri loco ponerem. Non enim alio pacto possum carus esse his qui nunc regnant, cum stultorum hoc tempus existat, atque hi soli potiantur rerum.'

81 Disceptatio Inter Florentinum Et Venetum

Venetis foedus erat cum Duce Mediolani ad decennium. Interim primo inter Florentinos Ducemque orto bello, cum Florentinorum res deteriori loco viderentur, Veneti Ducem haud quicquam hostile timentem adorti, rupto foedere, Brixiam occuparunt: veriti ne, si Dux superior

esset, omnis belli moles in se verteretur. Florentino Venetoque postmodum de hac re disceptantibus, cum Venetus diceret: 'Nobis libertatem debetis: nam nostra opera liberi estis.' -- 'Hoc nequaquam verum est,' inquit ad retundendam illius petulantiam Florentinus: 'non enim nos liberos esse fecistis, sed nos vos reddimus proditores.'

82 Comparatio Antonii Lusci

Ciriacus Anconitanus, homo verbosus et nimium loquax, deplorabat aliquando, astantibus nobis, casum atque eversionem Imperii Romani, inque ea re vehementius angi videbatur. Tum Antonius Luscius, vir doctissimus, qui in coetu aderat, ridens hominis stultam curam: 'Hic persimilis est,' inquit, 'viro Mediolanensi, qui, die festo, cum audisset unum e grege cantorum (qui gesta heroum ad plebem decantant) recitantem mortem Rolandi, qui septingentis jam ferme annis in praelio occubuit, coepit acriter flere, atque inde, cum uxor domum reversum moestum ac gementem vidisset, rogassetque quidnam accidisset novi: 'Heu! mea uxor,' inquit, 'defunctus sum!' -- 'Mi vir,' uxor ait, 'quid tibi adversi evenit? Solare, atque ad coenam veni.' At ille cum in gemitu perseveraret, neque cibum vellet sumere, tandem instantius maeroris causam percontanti mulieri: 'An nescis,' respondit, 'quae nova hodie audivi?' -- 'Quaenam, vir?' uxor inquit. -- 'Mortuus est Rolandus, qui solus tuebatur Christianos!' Solata est mulier insulsam moestitiam viri, et vix tandem ad coenam potuit illum perducere.'

83 De Cantore Qui Praedixit Se 'Mortem Hectoris' Recitaturum

Subjuxit alter similis fabellam stultitiae: 'Quidam,' inquit, 'vicinus meus, homo simplex, audiebat quempiam ex ejusmodi cantoribus, qui in fine sermonis ad illiciendam audientium plebem, praedixit se postridie *Mortem Hectoris* recitaturum. Hic noster, antequam cantor abiret, pretio redemit, ne tam cito Hectorem virum bello utilem interficeret. Ille *Mortem* postero die distulit. Alter vero saepius pretium dedit sequentibus diebus pro vitae dilatione. Et cum pecuniae defuissent, tandem mortem ejus multo fletu ac dolore narrari audivit.'

84 De Muliere Quae Se Viro Semimortuam Ostendit

Sarda oppidum est in montibus nostris situm. In eo cum vir simplex uxorem cum altero coeuntem deprehendisset, illa statim se semimortuam simulavit, prosternens se ad terram, similis defunctae. Accedens vir propius, ac mortuam credens, coepit illacrymans brachia uxoris fricare. Tum illa, subapertis oculis, tanquam ad se paululum reversa, cum petisset vir quidnam accidisset, se nimio timore percussam dixit, et cum eam consolari stultus coepisset, ac si quid vellet petere jussisset: 'Volo,' inquit illa, 'jures te nihil vidisse.' Statim cum id jurasset, mulieri valetudo restituta est.

85 Faceta Jocatio Militis Florentini

Rossus de Riciis, Eques Florentinus, magni vir animi ac severus, uxorem habuit Teldam nomine, vetulam et minime formosam. Hic coepit in ancillam, quam domi habebat, oculos conjicere, et cum illam saepius molestasset, illa ad patronam rem detulit. Suasit ut assentiretur, ac certo in loco subobscuro horam Rosso assignaret, in quem pro ancilla se Telda clam contulit. Accedens ad locum Rossus, ac mulierem pro ancilla diutius tractans, tandem, demissa mentula,

nihil agere potuit. Tum exclamans uxor: 'Eia,' inquit, 'Eques merdose, si hic ancilla extitisset, recte cum ea rem habere potuisses.' Tum Miles: 'Oh! Telda mi, per Deum!' inquit, 'hic meus socius prudentior admodum est quam ego. Nam postquam te pro ancilla ignarus attigi, statim ille malam carnem te esse cognovit, ac propterea retrocedens me restituit.'

86 De Milite Qui Uxorem Habebat Litigiosam

Habebat Florentinus Eques admodum nobilis uxorem litigiosam ac perversam, quae quotidie ad Religiosum Confessorem, vel, ut aiunt, Devotum suum querelas viri et vitia deferebat. Hic Equitem reprehendebat, objurgabatque. Aliquando verbis admonitus uxoris et ut pacem inter eos poneret, rogavit virum ad confessionem peccatorum. Qua facta non dubitabat conventuram inter eos concordiam. Paruit Eques, et cum Religiosus eum sua peccata explicare jussisset: 'Nequaquam est opus,' inquit, 'quicquid enim unquam commisi, et multo plura etiam, ab uxore saepius tibi recitata extiterunt.'

87 De Temerario Qui Asinos Curabat

Fuit nuper Florentiae homo confidens ac temerarius, nulli arti deditus. Is cum legisset apud Medicum quemdam nomen et virtutem certarum pillularum, quae ad varios morbos conferre dicebantur, existimavit homo ridiculus se iis solis pillulis de facili Medicum evasurum. Confecto earum magno numero, urbem egressus coepit vagari per oppida et villas, Medicinae artem professus. Ad omnem autem aegritudinem has pillulas accommodabat, earumque cura aliqui casu valetudinem recuperarunt. Cum hujus fama percevisset stulti apud stultos, unus qui asinum suum amiserat, rogavit hominem, numquid remedium ad recipiendum asinum haberet. Assensit ille, et ei sex pillulas deglutiendas dedit. Quibus sumptis abiens, postero die cum asinum quaereret, ac cogentibus pillulis de via discessisset, laxandi ventris gratia, in arundinetum forte divertit; ibi reperto asino pascente, Medici scientiam et pillulas ad caelum laudibus extulit. Ad hunc postmodum, veluti alterum Aesculapium, magnus fiebat rusticorum concursus, qui audierant Medici medelas etiam ad recipiendos asinos accommodatas.

88 Comparatio Petri De Eghis

In seditione quadam civitatis Florentiae qua cives pro statu rerum inter se certabant, cum quidam alterius factionis ab adversariis magno tumultu occideretur, unus ex his qui longe aberant, gladios exertos conspiciens, atque homines concursantes, percontatus est a circumstantibus quidnam ibi ageretur. Tum unus, nomine Petrus de Eghis: 'Illic,' inquit, 'magistratus civitatis atque officia dividuntur.' -- 'Nolo,' inquit ille, 'res quae tam caro constant,' atque e vestigio recessit.

89 De Medico

Quum coenarent mecum contribuli nonnulli, homines ad facetias prompti, multa ridenda inter coenandum dicebantur, inter quae unus subridens: 'Cechinus,' inquit, 'Medicus Aretinus, accersitus ad curandum quamdam formosam adolescentulam, quae psallendo contorserat genu; in componendo cum et tibiam foeminae et coxam peralbam ac mollem aliquandiu tractasset, erecta est mentula majorem in modum, ita ut subligaculo contineri nequiret. Tum suspirans cum

assurrexisset, atque illa quid pro ea cura sibi dari vellet, quaesisset, nihil sibi deberi respondit. Quaesita causa: 'Pares enim in opere,' inquit, 'sumus; ego enim tibi membrum contortum direxi, tu item mihi aliud erexisti.'

90 Jocatio Cujusdam Veneti Qui Equum Suum Non Cognoverat

Loquentibus nonnullis doctis viris de insulsiitate, stultitiaque multorum, narravit Antonius Luscus, vir facetissimus, cum olim ab Roma Vincentiam proficisceretur, addidisse se in suam societatem Venetum quemdam, qui perraro, ut videbatur, equitasset. Qui cum Senis divertisset ad hospitium in quo et alii permulti cum equis erant, maneque ad iter se quisque pararet, solus Venetus sedebat ad fores otiosus, atque ocreatus. Admiratus Luscus hominis neglegentiam ac tarditatem, qui, cum caeteri ferme in equis essent, ipse solus quiesceret, admonuit, si secum proficisci vellet, equum ascenderet, causamque morae percontabatur. Tum ille: 'Atqui,' inquit, 'tecum ire cupio: sed equum meum minime inter alios recognosco. Igitur exspecto quoad reliqui equitarint, ut qui equus solus in stabulo remanserit, sciam esse meum.' Cognito hominis stupore, Antonius paulum commoratus est, quoad stultus ac stipes ille unicum relictum equum caperet pro suo.

91 Dictum Caroli Bononiensis

Mos est loquendi, cum quempiam prae nobis contemnere volumus, ut dicamus: *Ego te centies in die oppigneratum relinquerem apud cauponulam tabernam.* Razello Bononiensi, viro prompto ad respondendum, quidam inter jurgandum hoc idem in coetu hominum objecit, extollens prudentiam suam, Razellum vero despiciens. Tum Razellus: 'Hoc tibi,' inquit, 'facillime concedo: cito enim res magni pretii et bonae dari pignori possunt. At vero tu ita, nequam, vilis et abjectae conditionis es, ut, si quis te per omnes fori tabernas et cauponas circumferret, nemo te nec pro aereo quidem nummo vellet accipere.' Hoc dicto, et circumstantibus risum movit, et dicacitatem hominis dicacitate compressit.

92 De Foeneratore Senae Relinquente Foenus Timore Perdendi Parta

Hortabatur foeneratorem jam senem amicus, ut desisteret a foenore, et animae suae saluti consulens, et corporis quieti, pluribusque suadebat verbis ut se ab ea molestia simul et infamia vitae vindicaret. Tum ille: 'Ut suades,' inquit, 'hanc artem desinam. Nam nomina mea ita jam male respondent, ut necesse sit vel invito hoc exercitium relinqui:' non conscientia peccati, sed timore amittendi parta se foenus relicturum professus.

93 De Meretrice Senae Mendicante

Dum hoc in corona recitaretur, "Similis hic fuit," contribulis meus ait, "pervetulae" (et nomen retulit) "meretrici quae, jam aetate confecta, stipem in eleemosyna petens: 'Benefacite,' aiebat, 'ei quae peccatum reliquit, et artem meretriciam.' Increpata ab homine noto, quod mendicaret: 'Quid vis agam?' inquit, 'nemo me amplius requirit.' -- 'Necessitate ergo, non voluntate,' ait ille, 'peccatum relinquis, cum peccandi nulla adsit facultas.' "

94 De Doctore Et Imperito

Cum Secretarii essent aliquando cum Pontifice Martino, et sermo de facetiis incidisset, retulit ille fuisse Doctorem Bononiensem, qui, cum a Legato quid instantius peteret, fatuus ac demens appellatus est. Hoc audito: 'Quando,' inquit, 'me dementem esse cognovisti?' Ad haec Legatus cum id temporis dixisset: 'Non recte,' inquit alter, 'arbitraris: tunc enim fatuus fui, cum te ignarum legum Doctorem juris civilis feci.' Erat enim Doctor Legatus, et parum doctus: hoc dicto ignorantiam Legati ostendit.

95 Dictum Episcopi Electensis

Alter, Episcopus scilicet Electensis, Romani cujuspiam dictum retulit. Cum Cardinali Neapolitano, homini stolido atque indocto, redeunti a Pontifice Romanus civis obviasset, Cardinalis vero, quia mos suus erat, continuo rideret, petivit a socio quamnam ob causam Cardinalem putaret ridere. Qui cum id se nescire respondisset: 'Atqui,' inquit, 'stultitiam Pontificis ridet, qui se adeo immerito Cardinalem fecit.'

96 Facetum Dictum Cujusdam Abbatis

Subdidit et alius duo facete ab Oratoribus (hi duo Abbates Ordinis S. Benedicti erant) Concilii Constantiensis dicta. Qui cum ad Petrum de Luna, antea apud Hispanos et Gallos Pontificem, nomine Concilii venissent, atque is, illis conspectis, duos corvos se adire dixisset, minime mirum videri debere alter respondit, si corvi ad ejectum cadaver accederent: exprobrans ei quod a Concilio damnatus pro cadavere haberetur.

97 Dictum Facetum

Idem in altercatione, quam super jure Pontificatus cum ipso habebant, cum Petrus dixisset: 'Hic est Arca Noe,' designans apud se jus esse Apostolicae Sedis: 'In Arca Noe,' inquit, 'belluae fuerunt permultae.'

98 Mirabilia Per Librarium Dicta

Librarius meus, Joannes nomine, qui nuper ex ea regione quam vocant Britanniam redierat, retulit mihi in coena ad octo Idus Octobris, penultimo Martini anno, quaedam miracula, quae se vidisse asserebat homo doctus et minime mendax. Primum est sanguinem inter Ligerim, Biturigas, et Pictones pluisse, exque ea pluvia sanguine perfusos lapides videri. Hoc quoniam accidisse saepius historiae prodiderunt, minus mirandum videtur. Quod sequitur, nequaquam credidisset, nisi asseverantis jusjurandum accessisset. In festo Petri et Pauli Apostolorum, quod est in mense Junii, ait quosdam messorum in patria sua, cum pridie nescio quid faeni in agro reliquissent, contempto die, ne faenum amitteretur, rediisse ad metendum, quod unica hora effici potuisset. Sed Dei judicio messorum diutius vagatos esse per agrum metentes, neque aliud quicquam die noctuque agentes, absque cibo et somno; neque vero pluribus diebus aut illos agrum exire, aut alios ad illos ut sciscitarentur quidnam id sibi vellet, accedere potuisse, cum multi circumstarent, fatuos illos existimantes. Vidisse se illos metentes librarius asseruit; quid vero illis postea acciderit, nescire se dixit.

99 Mirabile Judicium Ex Contemptu Sanctorum

Sic alter ex Senatoribus meis, Rolletus nomine, patria Rothomagensis, se haud dissimile miraculum vidisse ex contemptu Sanctorum Dei affirmavit. Esse ait juxta castellum civitatis parochiam quamdam dicatam Beato Gothardo; cujus solemnis cum adesset dies, parochiani omnes ingens de more festum cum processione et pompa agebant. Adolescentula vero alterius parochiae, cum illos derideret, nomenque Sancti sperneret et eorum caerimonias, se in ejus contemptum filaturum dixit, ac deinceps eum sumpsit et fusum. Haec autem subito cum manibus et digitis magno cum dolore haesissent, ita ut avelli nequirent, adolescentula vero muta esse facta, nutu (nam voce non poterat) dolorem et causam significabat, et tandem accurrente hominum multitudine ductam ad altare Sancti quem contempserat, atque ibi voto suscepto et restitutam vocem, et eum fusumque e manibus cecidisse. Haec in sua parochia accidisse dixit, ita indubie ut mihi incredulo aliquam fidem facere videretur.

100 Facetissimum De Sene Quodam Qui Portavit Asinum Super Se

Dicebatur inter Secretarios Pontificis, eos, qui ad vulgi opinionem viverent, miserrima premi servitute, cum nequaquam possibile esset, cum diversa sentirent, placere omnibus, diversis diversa probantibus. Tum quidam ad eam sententiam fabulam retulit, quam nuper in Alemannia scriptam pictamque vidisset.

Senem ait fuisse, qui cum adolescentulo filio, praecedente absque onere asello quem venditurus erat, ad mercatum proficiscebatur. Praetereuntibus viam quidam in agris operas facientes senem culparunt, quod asellum nihil ferentem neque pater, neque filius ascendisset, sed vacuum onere sineret, cum alter senectute, alter aetate tenera vehiculo egeret. Tum senex adolescentem asino imposuit, ipse pedibus iter faciens. Hoc alii conspicientes increparunt stultitiam senis quod, adolescente qui validior esset super asinum posito, ipse aetate confectus pedes asellum sequeretur. Immutato consilio atque adolescente deposito, ipse asinum ascendit. Paulum vero progressus, audivit alios se culpantes, quod parvulum filium, nulla ratione aetatis habita, tanquam servum post se traheret, ipse asello, qui pater erat, insidens. His verbis permotus, filium asello secum superimposuit. Hoc pacto iter sequens, interrogatus inde ab aliis, an suus esset asellus, cum annuisset, castigatus est verbis, quod ejus tanquam alieni nullam curam haberet, minime apti ad tantum onus, cum satis unus ad ferendum esse debuisset. Hic homo perturbatus tot variis sententiis, cum neque vacuo asello, neque ambobus, neque altero superimpositis absque calumnia progredi posset, tandem asellum pedibus junctis ligavit, atque baculo suspensum, suo filiique collo superpositum, ad mercatum deferre coepit. Omnibus propter novitatem spectaculi ad risum effusis, ac stultitiam amborum, maxime vero patris, increpantibus, indignatus ille, supra ripam fluminis consistens, ligatum asinum in flumen dejecit, atque ita amisso asino domum rediit. Ita bonus vir, dum omnibus parere cupit, nemini satisfaciens, asellum perdidit.

101 Hominis Maxima Imperitia

Recitabantur aliquando litterae coram prioribus Florentinis, narrantes quaedam de homine non satis Reipublicae accepto. Cum vero nomen illius saepius referri in litteris necesse fuisset, accidit ut nomini illi adderetur *praefatum*, ut dicam Paulum. Tum unus ex astantibus, litterarum rudis, existimans verbum illud honorificum esse, et magnam aliquam laudem in *praefati* nomine

contineri, ac si *sapientissimum* aut *prudentissimum* scripsisset, statim vociferari coepit, rem indignam esse, ut homo improbus, hostis patriae, *praefatus* appellaretur.

102 Alia Hominis Imperitia

Similis huic contribulis meus Mattheozius nomine, homo rusticus, risum multis commovit. Nam die festo, in convivio sacerdotum, cui praeparando ipse nonnullique alii praefuerant, cum post cibum gratiae sacerdotibus (plures enim ex longinquo convenerant) agendaessent, hic cui negotium demandatum erat, admodum senex, verba faciens: 'Patres mei, si quid defuit vobis,' inquit, 'ignoscite; non fecimus quod debuimus, sed pro modo facultatis nostrae tractavimus vos secundum Vestram Ignorantiam.' Putavit homo rudis, qui aliquod verbum resonans quaerebat, se id pro summa laude dixisse, ac si Prudentiam aut Sapientiam dixisset.

103 De Quodam Sene Barbato

Vir doctissimus atque humanissimus omnium Antonius Luscus, retulit nobis inter loquendum, post convivium, rem ridendam. Est communis loquendi modus, cum quis ventris crepitum edidit, ut circumstantes: *Ad barbam ejus, qui nihil cuiquam debet*, dicant. Senex quidam Vincentiae, barba admodum proluxa, vocatus a creditore in iudicium coram Praeside civitatis (is Ugulottus Biancardus fuit, vir doctus atque severus), cum multis verbis jactabundus clamitaret, se nullius ulla in re debitorem esse, repetens saepius nihil cuiquam se debere: 'Faciesse hinc ocius,' Ugulottus ait, 'atque hanc tuam foetidam barbam, quae nos malo odore conturbat, amove.' Cum ille stupidus, quamobrem foeteret adeo graviter, postulasset: 'Referta est,' inquit Ugulottus, 'omnibus bombis, quae unquam ab hominibus editae sunt, cum ad barbam ejus, qui nullum habet debitum, rejiciantur.' Hoc dicto perfacete elusit hominis jactantiam, ridentibus qui aderant omnibus.

104 Comparatio Quaedam Caroli Bononiensis De Quodam Notario

Cum coenarem in palatio Pontificis, nonnulli inter quos et Secretarii erant, orto sermone de eorum ignorantia quorum doctrina omnis ac scientia pendet ex scriptis formulis, neque earum causas afferunt, sed tantum dicunt sic scriptum superiores stylo reliquisse; Carolus Bononiensis, vir admodum festivus, 'Hi simillimi sunt,' inquit, 'Notarii cujusdam' (et nomen retulit) 'concovis mei; ad quem cum duo accessissent contractus venditionis inter eos conficiendi gratia, atque ille, sumpto calamo, scribere incipiens quaesisset eorum nomina, et alter Joannes, Philippus alter sibi nomen esse dixissent, respondit e vestigio Notarius, id instrumentum (ita enim appellatur) confici inter se non posse. Quaerentibus illis causam: 'Nisi,' inquit, 'venditor Conradus, emptor vero Titius vocetur' (haec enim sola nomina in formulis suis didicerat), 'rogari aut jure consistere hic contractus nequit.' Cum vero se nomina mutare non posse dicerent, ille in sententia perstaret, quoniam ita formulae suae continerent, homines missos fecit, cum non auderent nomina immutare. Abierunt illi ad alium relicto homine insulso, qui se crimen falsi subire existimavit, si scripta in formulis suis nomina commutasset.'

105 De Doctore Florentino Ad Reginam Destinato Qui Concubium Postulavit

Incidit etiam sermo inter jocandum de stultitia nonnullorum, qui Oratores mittuntur ad Principes.

Cumque aliqui nominati essent, ridens Antonius Luscus: "Numquidnam," ait, "audistis temeritatem Florentini" (me intuens) "quem Populus Florentinus ad Joannam Reginam quondam Neapolitanam destinavit? Franciscus is nomine fuit, Doctor legum, licet admodum indoctus. Qui cum Reginae mandata quaedam exposuisset, postridieque ad eam reverti jussus, audisset interim Reginam haud aspernari viros, praesertim forma conspicuos, ad Reginam rediit, multisque ultro citroque dictis, tandem se cum ea secretiora quaedam loqui velle dixit. Tum Regina cum hominem in remotius conclave advocasset, existimans aliquid esse occultius quod communicandum cum pluribus non esset, stultus ille, qui sibi de propria forma plurimum persuaserat, Reginam concubitus postulavit. Tum illa, nihilo immutata, vultum hominis inspiciens: 'Numquid,' ait, 'hoc tibi Florentini in mandatis quoque dedere?' Tacentem atque erubescens Oratorem, ut hujus rei mandatum afferret dicens, abire ab se absque indignatione jussit."

106 De Homine Qui Diabolum In Imagine Mulieris Cognovit

Vir doctissimus Cincius Romanus mihi saepius retulit rem haud contemnendam, quam vicinus suus, minime insulsus homo, sibi accidisse narrabat. Ea est hujus modi. Surrexerat is aliquando ad lunae splendorem, existimans circa diluculum esse, cum nox esset intempesta, ut proficisceretur ad vineam suam, prout est mos Romanis vineas diligenter colere. Egressus porta Ostiensi (exitum enim a custodibus, ut ea aperiretur rogarat), mulierem conspexit se praecedentem. Existimans vero aliquam esse quae devotionis gratia S. Paulum visitaret, cum exarsisset in libidine, gradum properavit, ut eam consequeretur, et, quoniam sola esset, id facilius se assequi putabat. Cum ad eam appropinquasset, ad semitam e recta via divertit. Hic homo celerius ambulavit, veritus ne mulieris occasionem oblatam amitteret. Progressus paululum in diviticulum mulierem comprehendit tacentem, ad terram stravit, cognovitque. Quo facto, illa subito evanuit, relicto foetore sulphureo. Homo in terra herbida se esse sentiens, paulum absterritus surrexit, domumque rediit. Daemonis eam illusionem fuisse omnes arbitrabantur.

107 Alia Fabula Per Angelottum Dicta

Aderat Angelottus, Episcopus Anagninus, cum haec Cincius recitasset, et alteram huic similem fabellam dixit: 'Affinis,' inquit, 'meus' (nomine eum appellans), 'cum noctu urbe deserta perambularet, obviam mulierem, quam existimabat, et quidem speciosam forma, ut videbatur, cognovit. Tum illa, ad eum terrendum, in hominis turpissimi formam versa: 'Et quid egisti?' inquit, 'equidem te, insulse, decepi.' Tum ille: 'Ut lubet,' intrepidus inquit, 'et ego tibi culum maculavi.'

108 De Advocato Qui Ficus Et Persica Ab Uno Litigante Acceperat

Humanissimus ac facetissimus vir Antonius Luscus, culpantibus nobis ingratitude eorum, qui ad fatigandos homines sunt prompti, ad promerendum remissi: 'Vincentius,' inquit, 'meus, qui Advocatus erat homini praediviti, sed avaro, cum multoties illi in causis affuisset, neque quicquam tulisset praemii, tandem difficiliore in causa qua sibi adesse ad eum defendendum rogarat, die ad tuendam causam praescripto (eo autem die cliens ficus et persica Advocato miserat) ad Tribunal accessit. Adversariis multa contra illum dicentibus, semper clauso ore tacuit, neque verbum ullum, quamvis lacescentibus illis, unquam protulit. Admirantibus singulis,

cum cliens quidnam illud silentium sibi vellet percontaretur: 'Persica,' inquit, 'et ficus quas misisti ita os meum congelarunt, ut nequeam verbum proferre.'

109 De Medico In Visitatione Infirmorum Versuto

Medicus indoctus, sed versutus, cum infirmos, adhibito discipulo, visitaret, tangens (ut moris est) pulsum, si quem graviorem solito sensisset, culpam in aegrotum conferebat, asserens eum ficus, aut pomum, aut quid aliud a se prohibitum comedisse. Quod cum saepissime faterentur aegri, vir divinus videbatur, qui ita errores morbo laborantium animadverteret. Hoc admiratus persaepe discipulus rogavit Medicum, quonam modo, pulsu vel tactu, an alia quadam altiori disciplina perciperet? Tum ille pro ejus in se observantia hoc arcanum reseraturum pollicitus: 'Cum pervenio in cubiculum aegroti,' ait, 'circumspicio in primis diligenter, si quid reliquiarum aut fructus cujuspiam, aut alterius rei in pavimento supersit; veluti si castanae, aut ficus corticem, vel nucis testam, aut pomorum frusta, aut aliud quippiam viderim, conector infirmum tale quid ex his comedisse, et sic aegrotum incontinentia in morbis gravioribus incuso, ut videar procul a culpa, si res deterius se habuerint.'

Haud multo post, discipulus, et ipse quoque, cura medendi suscepta, saepius eodem malo aegros culpabat, asserens edendi formulam ab se datam excessisse, et aliquid edisse, prout ex reliquiis conjectura assequi poterat. Semel ad rusticanum inopem hominem accessit, cui cum valetudinem pristinam se e vestigio restitutum promississet, si normam suam servaret, data nescio qua portione, abscessit, postridie reversurus. Cum rediisset, graviori morbo aeger afflictabatur. Hic homo stultus ac rudis causam nesciens, cum huc atque illuc deflexisset oculos, nullasque ejusmodi reliquias vidisset, aestuans animo, tandem sub lectulo aselli clitellam conspexit. Tum clamare coepit e vestigio, tandem se percipere cur deterius se haberet aeger; magnum excessum esse ab eo factum, quo mirabatur illum minime mortuum esse; asinum quippe aegrum comedisse assererat, existimans sellam decocti asini, velut os carnis reliquias videri. In stultitia sua deprehensus homo ridiculus multos ad risum excitavit.

110 De Duobus In Re Pecuniaria Litigantibus

Oppidum est Bononiensium nomine Medicina. Eo missus est *Potestas* (ut aiunt), homo rudis atque imprudens; ad quem cum duo litigantes de re pecuniaria accessissent, ac prior qui creditorem se dicebat sibi pecuniam certis ex causis deberi dixisset, versus in debitorem *Potestas*; 'Male habes,' ait, 'cum non huic debitum reddis.' Cum negaret alter quicquam debere, cum jam illi satisfactum esset, creditorem statim increpavit, qui peteret quod non deberetur. Illo rursus causam suam tuente, ac debiti rationem afferente, debitorem acrius iterum increpavit qui rem tam manifestam negaret. At is, aliis rationibus in medium deductis, cum solutus esset debito, *Potestas* quoque creditorem objurgavit, qui peteret rem solutam. Ita, cum saepius se ad utriusque verba vertisset vir ridiculus: 'Utraque pars,' inquit, 'est victrix, et victa; quo licet abeatis.' Ita conventum re indiscussa permisit. Hoc recitatum est inter socios, cum quidam nobis notus saepius in eadem re sententiam mutaret.

111 De Medico Indocto Qui Urinae Gratia Indicavit Mulierem Coitu Indigere

Aegrotabat apud nos mulier, quam novi, Joanna nomine. Accedens scitulus et indoctus Medicus,

ut morbum curaret, urinam (cujus servandae cura adolescenti filiae innuptae demandata erat, ut moris est), postulavit. Haec autem oblita suam pro aegrae urina Medico ostendit. Statim mulierem indigere coitu Medicus affirmavit. Cum id viro nuntiatum extitisset, curato in coena opipara stomacho, cum uxore concubuit. Illa, cum hoc sibi ex debilitate molestissimum esset (ignara enim Medici consilii erat), clamaretque saepius ob rei novitatem, 'Quid agis, mi vir? Me quidem occidis,' -- 'Tace,' vir inquit, 'haec optima est, ex Medici sententia, ad te curandam medela; nam isto quidem pacto liberaberis, et restituetur valetudo.' Neque eum fefellit opinio. Nam cum quater eam subagitasset, postero die omnis febris abscessit. Ita Medici deceptio causam praebuit sanitatis.

112 De Viro Qui Uxorem Aegrotam Cognovit, Et Postea Convaluit

Rem similem in oppido Valentiae quidam accidisse contribuli suo inter jocandum recitavit. Ait adolescentulam nuptam Notario admodum juveni, quae non multo postquam ad virum ierat, gravi morbo aegrotare coepit, adeo ut omnes morituram existimarent: nam et Medici sanitatem desperaverant, et mulier adolescentula amissa loquela, clausis oculis, intercluso spiritu, mortua videbatur. Dolebat vir tam cito eripi uxorem sibi, quam raro cognoverat, et eam, ut aequum erat, summe amabat. Decrevit ergo cum uxore, antequam ea expiraret, coire. Semotis omnibus (cum nescio quid se acturum secreto dixisset), uxorem cognovit. Illa e vestigio, tanquam vir novam vitam in corpus ejus indidisset, coepit spiritum ducere, atque oculis subapertis, post paululum loqui, et submissa voce virum appellare. Qui cum laetus rogasset, numquid vellet, potum petivit, quo, atque deinceps cibo dato convaluit. Cujus causam praestiterat matrimonii usus. Exemplo igitur arguitur morbis mulierum eam rem plurimum conferre.

113 De Homine Non Litterato Qui Dignitatem Quamdam Archipresbyteratus Ab Archiepiscopo Mediolanensi Postulavit

Querebamus aliquando de condicione temporum, ne dicam hominum, qui in Ecclesia Principatum tenent; nam, posthabitis doctis ac prudentibus viris, indocti et nullius pretii homines extolluntur. Tum Antonius Luscus: 'Non est,' inquit, 'magis Pontificum quam caeterorum Principum culpa, apud quos fatuos, et ridiculos homines in deliciis haberi, doctrina vero excellentes rejici videmus. Erat olim,' ait, 'apud priscum illum Canem Principem Veronensem perjucundus homo, nomine Nobilis, rudis atque indoctus, sed facetiarum gratia acceptissimus Cani, et ob eam rem ab eo (erat enim clericus), pluribus ecclesiis donatus. Hic, cum Oratores, viri excellentes, ad Archiepiscopum Mediolanensem antiquiorem illum qui civitati imperabat a Principe mitterentur, se in eorum societatem contulit. Expositis mandatis, Oratores cum reverti vellent, Nobilisque, ut erat homo confabulator, risum Archiepiscopo movisset, potestatem fecit, si quid ab se vellet petere. Archipresbyteratum quemdam magnae dignitatis sibi dari Nobilis postulavit. Tum ridens Archiepiscopus hominis stultitiam: 'Vide quid petis,' inquit. 'Major est haec res quam vires tuae ferre possint: homo enim es inscius litterarum, et apprime indoctus.' Atqui, statim et confidenter respondit Nobilis: 'More quidem patrio id facio. Nam Veronae nulla litteratis viris, sed indoctis et insciis beneficia conferunt.' Risimus facete hominis dictum, qui, quod Veronae stulte fiebat, et alibi fieri debere arbitrabatur.

114 De Meretrice Conquerente De Tonsoris Maleficio

Magistratus est Florentiae, quem Officiales honestatis vocant: horum praecipua cura est in jure meretricibus dicendo, curandoque ut in omni civitate absque molestia esse possint. Accessit ad eos semel meretrix, questa injuriam damnumque a tonsore illatum, qui in balneum accersitus ab ea ut partes inferiores raderet, rasorio ita cunni partem incidit, ut pluribus diebus homines admittere nequivisset, ex quo damni infecti illum accusabat, amissi lucri restitutionem petens.

Quaeritur quae sit futura sententia?

115 De Religioso Cui Vidua Confitebatur

Audiebat Religiosus ex his qui vivere in Observantia dicuntur, viduam formosam Florentiae peccata sua confitentem. Cum mulier inter loquendum viro haereret, et faciem suam, ut secretius loqueretur, propius admoveret, anhelitus autem juvenilis virum concalefecisset, coepit tandem qui jacebat caput erigere, adeo ut paulo hominem torqueret. Cum ille molestia carnis oscitans, et se contorquens, cuperet mulierem abire, illa vero sibi poenitentiam injungi peteret: 'Poenitentiam,' inquit ille, 'indidisti tu mihi.'

116 De Viro Qui Suae Uxori Mortuum Se Ostendit

In Montevarchio oppido nobis propinquo, hortulanus mihi notus cum semel, uxore juvene, quae pannos lotum ierat, absente, ex horto domum revertisset, cupiens quid mulier, se mortuo, dictura, et quemadmodum se habitura esset audire, se in aula ad terram mortuo similis resupinus prostravit. Uxor, cum domum onerata linteis venisset, invento mortuo, prout credebat, marito, dubitans haerebat animo, statimne viri mortem lamentaretur, an prius (jejuna enim meridiem usque permanserat) comederet. Fame urgente, cibum capere decrevit, et frusto succidia super prunas imposito perpropere comedit, nihil prae festinatione potans. Cum sitiret nimium propter carnes salitas, sumpto urceolo, scalas coepit descendere, ut vinum ex cellario hauriret. Superveniente ex improvise vicina, ignis petendi gratia, cum subito scalas ascendisset, statim mulier, abjecto urceolo, sitibunda, veluti tunc repente vir exhalasset animam, exclamare coepit, et mortem ejus multis verbis plangere. Supervenere ad ululatum ploratumque vicinia omnis, viri ac mulieres, ob mortem tam repentinam. Jacebat enim vir, atque ita spiritum continebat clausis oculis, ut omnino expirasse videretur. Tandem cum visum ei esset satis ludorum dedisse, vociferante muliere, ac saepius dicente: 'Mi vir, quomodo nunc faciam?' Ille, apertis oculis: 'Male,' inquit, 'uxor mea, nisi e vestigio potum vadas.' Ex lacrimis ad risum omnes conversi sunt, audita praesertim fabula et causa sitis.

117 De Bononiensi Adolescentula Simpliciter

Adolescentula Bononiensis, noviter nupta, querebatur apud honestissimam matronam mihi vicinam, se acriter nimium ac persaepe a viro vapulare. Quaerente quamobrem matrona, respondit virum aegre ferre eam, dum matrimonio uteretur, immobilem, in modum trunci, permanere. 'Cur non,' inquit illa, 'viro obsequeris in lecto, et voluntati pares?' Tum illa: 'Nescio, Domina, quomodo id fiat,' ait. 'Nunquam enim aliquis me docuit, quomodo id agendum esset: nam si id scirem, non paterer me verberibus a viro caedi.' Simpliciter mira puellae, quae, etiam

quae natura percipiuntur a foeminis, ignoraret. Hoc uxori postea per jocum recitavi.

118 Responsio Confessoris Ad Bernabovem Principem De Muliere Facta

Bernabos, Princeps Mediolani, fuit admodum mulierosus. Is cum aliquando solus in horto, semotis arbitris, cum muliere quam amabat lascivus jocaretur, supervenit de improvise Religiosus quidam, Confessor ejus, cui propter sapientiam et auctoritatem semper ad Principem patebant fores. Erubuit simul et indignatus est Princeps de insperato Confessoris adventu, pauloque commotior, ut eum in responso caperet: 'Quid,' inquit, 'ageres, si tu quoque cum ejusmodi muliere in lecto esses?' At ille: 'Quid me deceret,' ait, 'scio, quid vero facturus essem, nescio.' Hoc responso iram Principis flexit, cum se quoque hominem esse et labi posse fateretur.

119 De Servo Oblivioso Ex Pondere Defatigato

Robertus ex Albiciorum familia, vir doctus et perhumanus, habebat famulum quemdam insulsum, obliviosum, et ingenio tardo, quem ille magis humanitatis quam utilitatis causa domi nutriebat. Hunc aliquando cum certis mandatis misit ad amicum suum, Degum nomine, qui habitabat prope Trinitatis pontem; ad quem cum accessisset, rogatus, quidnam a patrono afferret novi, ille oblitus patroni verborum, veluti stupidus ac cogitabundus, quid diceret haesitabat. Conspecta hominis, quem probe noverat, taciturnitate, statim: 'Scio,' inquit, 'quid velis,' et ostenso pergrandi lapideo mortario: 'Cape hoc,' ait, 'et ad patronum tuum, nam id postulat, quamprimum feras.' Hunc Robertus mortarium humeris ferentem a longe cum aspexisset, cogitans, quod erat id ad puniendam famuli oblivionem factum, cum appropinquasset: 'Malum tibi, insulse,' ait, 'qui non recte verba mea percepisti. Redi e vestigio, nam tam grande nolo, et minusculum porta.' Ille sudans ac pondere fessus, cum se errasse fateretur, ad amicum reversus, aliud quoddam tertio reportavit. Hoc pacto insulitas hominis est mulctata.

120 De Homine Qui Mille Florenos Vult Expendere Ut Cognoscatur, Et Responsio In Eum Facta

Quidam e nostris Florentinis adolescens, haud magni consilii, amico narravit pergrandi orbis cupiditate se mille florenos velle expendere, ut quanti esset nosceretur. Tum alter, cui probe notus erat: 'Satius est,' inquit, 'duo millia expendas, ut des operam ne cognoscaris.'

121 Jocatio Dantis Clarissimi

Dantes, Poeta noster, cum exul Senis esset, et aliquando in ecclesia Minorum, cubito super altare posito, cogitabundus aliquid secretius scrutaretur animo, accessit ad eum quidam, nescio quid molestius petens. Tum Dantes: 'Dic mihi,' inquit, 'quae est maxima omnium belluarum?' At ille: -- 'Elephas,' respondit. Cui Dantes: -- 'O elephas! sine me,' inquit, 'majora verbis tuis cogitantem, noli esse molestus.'

122 Jucunda Responsio Unius Mulieris, Facta Ad Quemdam Quaerentem An Uxor Sua Per XII Menses Posset Parere

Florentinus civis, peregre profectus, cum post annum, qua die domum rediit, uxorem

parturientem deprehendisset, aegre hoc ferebat, suspicans uxoris peccatum. Consilii tamen causa, cum penderet animo, quaesivit a vicina Matrona nobili et peracuta, an filius sibi duodecim mensium nasci posset. At illa, stultitia hominis conspecta, virum consolata: -- 'Certe,' inquit; 'nam, si tua uxor, qua die concepit, asinum forte vidisset, more asinae annum integrum partum gestabit.' Acquiescens vir Matronae verbis, et Deo gratias agens, quod se suspicione haud parva, uxorem magno scandalo liberasset, natum puerum suum dixit.

123 Interrogatio Obscena Cujusdam Sacerdotis

Extra portam Perusinam est ecclesia Sancti Marci. In ea Cicero Sacerdos, die solemnii in quo plebs omnis convenerat, cum sermonem de more haberet, postremo inter caetera: 'Fratres,' inquit, 'magno quidem errore liberari a vobis cupio. Hac Quadragesima, cum audirem confessiones uxorum vestrarum, nullam reperi quae non profiteretur se fidem viro inviolatam servasse: vos autem ferme omnes fassi estis aliorum uxores cognovisse. Ne ergo hac in dubitatione diutius verter, scire a vobis cupio, quae aut ubinam sint istae mulieres fututae.'

124 Ridenda Cujusdam Hominis Adversus Oratores Perusinarum

Quo tempore Florentini cum Pontifice Gregorio bellum gerebant, Oratores Perusinarum, qui a Pontifice desciverant, Florentiam pro subsidio venerunt. Horum unus Doctor, cum longam orationem exorsus, primis verbis, tanquam prooemii loco: '*Date nobis de oleo vestro,*' dixisset, alter, festivus homo, cui ambages verborum odio erant: -- 'Quid hoc est oleum?' inquit. 'Oleum tu postulas, cum milite egeamus? An oblitus es nos arma, non oleum postulaturos venisse?' Cum ille verba haec Sacrae Scripturae esse responderet: -- 'Bella res est,' inquit alter; 'nos quidem hostes sumus Ecclesiae, et tu Sacram Scripturam in nostrum auxilium profers?' Riserunt omnes hominis festivitatem, qui Doctoris superfluum verborum superstitionem, cum ad calcem veniendum esset, ejusmodi dictis lusit.

125 De Oratoribus Perusinis Ad Pontificem Urbanum

Ad Urbanum quoque quintum Pontificem Avinionem Perusini Oratores numero tres cum accessissent, Pontifex autem gravi morbo teneretur: tamen homines ne diutius suspensos teneret, ad se vocari jussit, admonitos antea, ut paucis loquerentur. Unus Doctor, qui orationem longam in via, quam habiturus esset ad Pontificem, menti commendarat, nulla ratione habita morbi, aut quod in lecto jaceret, multis verbis usus est, ita ut Pontifex saepe molestiam audiendi prae se ferret. Cum tandem indoctus ille perorasset, quaesivit pro sua humanitate Pontifex, numquid aliud vellent. Tum alter ex Oratoribus, qui et dicentis stultitiam et Pontificis molestiam percepisset: -- 'Pater,' inquit, 'Sanctissime, habemus hoc in mandatis nostris, ut nisi nobis e vestigio, pro his quae petimus, feceritis satis, socius hic meus, antequam hinc recedamus, Vobis iterum referat sermonem suum.' Quo facete dicto cum arrisisset Pontifex, Oratores e vestigio expediri jussit.

126 Insulsum Dictum Oratorum Florentinorum

Nostri Florentini Oratores in Galliam missi, cum Mediolanum pervenissent, Bernabovem Principem honoris gratia visitarunt. Rogati ab eo primo congressu, quinam essent: --

'Florentinorum et cives et Legati, si vobis placet,' qui mos est loquendi, responderunt. Comiter ab eo accepti dimissique, cum jam Vercellas devenissent, recensentes quae hactenus egissent, venit in mentem verborum, quibus ad Bernabovem usi erant: et cum unus male ab eis dictum diceret, *si vobis placet*, nam etiamsi displiceret, tamen Florentini, et cives, et Oratores essent, omnes sententiam ejus approbarunt, id perperam prolatum, neque ex sua dignitate asseverantes. Communi igitur consilio ad retractanda ea verba Mediolanum reversi, Principem adierunt. Tum senior qui et doctior videbatur: 'Princeps,' inquit, 'cum Vercellis essemus, venit in mentem dixisse nos tibi, nos Florentinos Oratores et cives esse, si tibi placeret: insulse ac inscite dictum. Nam, placeat, an displiceat, sumus Florentini, et cives, et Oratores.' Risit Princeps, ad caetera severus, hominum stultam curam, sibi placere asserens, quod hi essent quos credebat.

127 Facete Dictum Cujusdam Joannis Petri Senensis

Joannes Petrus, civis Senensis, ad facetias et jocos promptus, semel Romae invitatus ad potum (mane enim et aestas erat) a Bartholomaeo de Bardis; cum plures una convenissemus, tum potandi, tum vexandi hominis causa, atque esset unicuique, ut moris est, ante potum particula panis oblata, sumptum panem cum alii comederent, solus partem suam servabat in manu. Rogatus cur et ipse non ederet, ridens: -- 'Bartholomaeae,' inquit, 'hic tuus panis, ultra omnes quos viderim, reverens est ac modestus: nam, cum saepius hunc ad os admoverim, nullo tamen pacto potis sum ut velit vinum praeire.' Risimus omnes facete dictum ejus, qui existimabat cibum non semper in magna praesertim siti praeire oportere.

128 De Viro Qui Uxori Vestem Magni Pretii Fecerat

Querebatur vir quidam, cum uxori vestem magni pretii fecisset, nunquam se matrimonio usum, quin amplius aureo nummo computari posset. Cui uxor: -- 'Hoc quidem,' inquit, 'tua accidit culpa; cur enim non toties concubitu uteris, ut nummulo aereo constet?'

129 Recitatio Jocosa De Medico

Retulit mihi Cardinalis Burdegalensis quemdam contribulem suum, cum sero domum redisset, clamare coepisse se crus vehementer dolere. Uxor, cum oleo rosaceo crus perunxisset, stuppa et lana additis, fascia insuper linea circumvolvitur. Homo cum dolore premi se diceret, ac gemens Medicum postulare, advenit ille, et paulatim leniterque (magnum enim dolorem prae se ferebat) detecto crure, cum palpitans nihil in illo morbi esse diceret, tum rusticus: -- 'Ergo hoc' (aliud crus porrigens) 'quod doleo est,' inquit. Stultitia hominis per jocunda, qui, quod doleret, a Medico admoneri voluit!

130 De Homine Qui In Somnis Aurum Reperiebat

Amicus quidam noster aurum a se repertum noctu per somnium referebat in coetu. Tum quidam: "Vide ne tibi accidat," ait, "quod meo vicino, cui aurum in stercus cecidit." Cum somnium narrari posceremus: "Vicinus," inquit, "noster somniavit, ductum se a Daemone in agrum ad aurum effodiendum, et cum multum reperisset: 'Non licet,' inquit Daemon, 'nunc auferre, sed signa locum, ut cognosci a te solo queat.' Cum alter, quo signaculo uteretur, peteret: -- 'Caca hic,' Daemon inquit, 'nam hoc maximo modo nullus hic esse aurum suspicabitur, et tibi soli res nota

erit.' Annuit vir; et statim expergefactus, sensit se in lecto ventrem admodum laxasse. Inter foetorem et sterco cum surrexisset, domum exiturus, capiti caputium ultimo imposuit, in quo cattus ea nocte sterco fecerat. Iniquo foetore permotus, inquinatum caput et caesariem lavit. Ita aureum somnium in merdam rediit."

131 De Quodam Secretario Friderici Imperatoris

Petrus de Vineis, vir doctus et prudens, Friderici Imperatoris Secretarius fuit, qui, cum esset hostis Alexandri tertii Pontificis, ac bellum terris Ecclesiae inferret, Petrum (is Italicus erat), ex invidia adversus eum a Barbaris orta, lumine privavit. Deinde poenitentia ductus (inique enim egerat), adscivit eum in secretius consilium suum. Cum Imperator angustia rei pecuniariae premeretur, consuluit Petrus vires Ecclesiae suismet opibus conterendas, capienda et conflanda esse ad usum belli (is tum Pisis erat) ecclesiarum omnia ornamenta, aurea atque argentea, inter quae zona illa quae cingebat templum memorabilis erat. Placuit consilium Friderico, et spoliis ecclesiarum exercitum paravit. Tum Petrus: 'Imperator,' inquit, 'injuriam abs te injuste mihi illatam ultus sum. Tu tibi hominum odia comparasti: ego tibi Deum ex sacrilegio reddidi inimicum. Omnia tibi deinceps in deterius cadent.' Ita postea fuit victor. Tandem Alexander superbiam fregit Imperatoris. Hoc dicto monuit res sacras ad profanum usum transferri non oportere; qui secus facerent, a Deo puniri.

132 De Judaeo Mortuo Assumpto Ignoranter in Cibum Per Florentinum

Cum duo Judaei ex Venetiis, ubi habitabant, se Bononiam contulissent, accidit ut alter morbo correptus interiret. Cupiens superstes defuncti cadaver Venetias deferri, cum palam id fieri prohibitum esset, minutatim concisum in parvo dolio posuit, admixtis diversis aromatibus et melle, ita ut mirum in modum suavis ex dolio prodiret odor. Hoc Venetias ituro Judaeo alteri commendavit. Qui, cum navicula secum per canale Ferrariam dolium deferret, accidit (plures enim unam naviculam conscenderant) ut Florentinus quidam prope dolium consideret, et cum nox supervenisset, motus odore dolii, ac suspicatus aliquid ad usum edendi reconditum esse, clanculum ore dolii relecto, coepit quod intus erat degustare. Et, cum sibi cibus sapidissimus videretur, totum fere dolium edendo ea nocte paulatim consumpsit, existimans rem optimam comedis. Egressurus Ferrariae navem Judaeus, cum dolium auferret, sensit ex ejus levitate vacuum esse. Tum Judaei cadavere cum se fraudatum vociferaretur, tandem cognovit Florentinus se Judaei sepulchrum esse.

133 Visio Francisci Philelphi

Franciscus Philelphus, zelotypus uxoris, summa cura torquebatur, ne cum altero rem haberet, semper dies ac noctes ad ejus custodiam intentus. Huic dormienti, per somnium (fit enim, ut quae vigilantes versamus animo, in somniis saepius occurrant), visus est Daemon quidam uxoris securitatem polliceri, si, quae admoneret, vellet facere. Et cum per somnium annuisset, idque sibi pergratum fore diceret, simul praemium pollicitus: -- 'Cape hunc,' ille inquit, 'annulum et diligenter in digito serva. Nam dum in eo gestaveris hunc, nunquam uxor, te inscio, cum alio concumbet.' Prae gaudio excitatus a somno, sensit se digitum habere in uxoris cunno. Optimum quidem ejus annuli zelotypis remedium, ne uxores, ignorantibus viris, possint esse incontinentes.

134 De Potatore

Quidam vini potator egregius incidit in febrem, ex qua multo majorem solito sitim contraxit. Accersiti Medici cum de removenda febre et siti quoque majuscula agitent: -- 'Febris tantum,' inquit aegrotus, 'removendae officium et onus sumatis volo, sitim autem mihi curandam relinquitte.'

135 Facetum Eberhardi, Scriptoris Apostolici, Qui Ad Cardinalis Conspectum Ventris Crepitum Dedit

Cardinalis de Comitibus, vir crassus et corpulentus, cum aliquando venatum isset, esuriens circa meridiem ad prandium descendit; sudans ad mensam (aestas enim erat) ac poscens ut ventus flabello sibi fieret, cum ministri abessent diversis rebus occupati, jussit quemdam Eberhardum Lupi, Scriptorum Apostolicum, sibi ventum facere. At ille, 'Nescio id vestro more,' cum respondisset, -- 'Ut scis,' ait Cardinalis, 'et tuo modo facito.' Tum ille, -- 'Libens me Hercule!' et, suspenso dextro crure, pergrandem ventris crepitum edidit, eo pacto se ventulum facere solitum dicens. Quo excitati omnes (multi enim jam aderant) ad risum sunt maximum compulsi.

136 Facetia Alterius Cardinalis Jucundissima

Eodem instrumento Cardinalis Tricaricensis, Alto de Comitibus se monenti respondit. Nam cum Cardinalis esset vitae dissolutioris, Alto vero illum in venatione admoneret multis verbis ad melioris vitae mores, auditis Alto verbis, in eum paululum respexit; et e vestigio se in equi caput reflectens, ventris crepitum edidit ingentem, inquit: 'Ad barbam tuam!' Quo solo responso abiit, ostendens quanti faceret suas monitiones.

137 De Muliere Quae, Cum Caput Cooperire Vellet, Culum Detexit

Mulier, capite ob defectum cutis abraso, evocata foras a vicina ob rem necessariam, immemor prae festinatione caput tegere, domo egressa est. Eam conspicata altera foemina increpat, quod nudo capite atque invenusto in publicum prodisset. Tum illa, ut caput tegeter, veste retrorsus a natibus sublata, cum caput cooperire vellet, culum detexit. Ridere qui aderant coepere mulieris factum, quae, ut levis pudoris culpam vitaret, majorem contraxit. Hoc eos respicit qui parvum delictum graviori scelere occultare quaerunt.

138 Facetissima Cujusdam Qui Litteras Uxori Mercatorique Miserat

Francisco de Ortano, Equiti Neapolitano, quem Ladislaus Rex praefecerat civitati Perusinae, litterae et ab uxore, et ab Genuensi mercatore, cui mutuo creditas pecunias debebat, simul redditae fuerunt. Alterae ab uxore eum rogabant, ut domum rediret, conjugalium officium et fidei datae ac citi redditus admonentes: alterae ut creditam redderet pecuniam poscebant. Mercatori, ut aequum erat, se quam primum ei satis esse facturum respondit, parvulam nescio quam dilationem petens: uxoris vero desiderium multis blanditiis et pollicitationibus leniebat, se illum e vestigio accessurum scribens, et omnia facturum, per quae resarciret amissas conjugii voluptates, utens

(prout ad uxorem par erat) verbis paulo lascivioribus, in quibus et illud erat adjectum, se eam multimode cogniturum, seu (ut verbis suis utar) fututurum. In obsignandis epistolis, ad mercatorem uxoris, ad uxorem vero mercatoris litteras inscripsit. Accepta uxor epistola, mirata est admodum nihil sibi responderi ad ea quae scripserat. Genuensis vero, perlectis ad se litteris, cum res jocosas atque uxorias continerent, in quibus illud erat praecipuum, se reversurum, et cum ea saepius coituum, atque alia paulo obscoeniora, existimans se verbis deludi, ad Regem profectus est, ostentans litteras, ac conquerens sibi pro nummis debitis coitum promitti, seseque satis fututum fuisse eo die clamitans, quo illi pecunias credidisset. Omnibus ad risum conversis, magis postmodum, epistolarum errore cognito, risere.

139 Fabula Dantis Qui Saepius Uxorem Increpabat

Contribulis meus, Dantes nomine, cujus uxor ferebatur parum pudica, cum saepissime admonitus esset a sociis, ut prohiberet turpitudinem domus, uxorem acrius increpabat. Illa multis lacrymis juramentisque honestatem suam tuebatur, asserens ea a malevolis confingi, qui eorum quieti inviderent. Persuasus vir hujusmodi verbis, cum adhuc amici in increpanda uxore perstarent: 'Ohe! ne me his verbis obtundatis amplius. Dicite,' inquit, 'ne illa an vos sua errata melius nostis?' Cum illi uxorem affirmarent: -- 'Illa vos omnes mentiri affirmat, cui soli magis quam vobis omnibus praesto fidem.'

140 Testatio Cujusdam Senis Facta Uxori

Petrus Masini, civis noster, admodum mordax in loquendo fuit. Is cum senex diem suum obiret, condito testamento, nihil, praeter dotem, reliquit uxori. Hoc illa cum gravissime ferens apud virum se postpositam, neque sibi ab eo quicquam relictum quereretur, contenderetque multis cum lacrymis ut aliquod suae senectuti subsidium legaretur: 'Vocate Notarium ac testes,' vir moribundus inquit, 'ut aliquid relinquatur uxori.' Quibus subito accersitis, adstante uxore, ad testes conversus Petrus: 'Haec me obtundit,' ait, 'ut aliquid sibi relinquam. Ei ergo ut morem geram, vos testes advoco qui adestis, me sibi relinquere foetidiorum et ampliorum vulvarum aliqua alia hujusce civitatis muliere.' Hoc dicto, ridentes omnes abiere, elusa foemina ac moesta responsione viri.

141 Narratio Quaedam Zuchari De Muliere Presbytero Medelam Quaerente

Zucharus, vir omnium urbanissimus, narrare solebat mulierem quamdam haud spernendae formae, vicinam suam, quae sterilis erat, quaesivisse saepius a Sacerdote Confessore suo, an sciret aliquam medelam ad liberos concipiendos. Illum postremo annuisse, ac mandasse ut die Jovis ejusmodi rei apta ad se veniret. Cum accessisset filiorum cupida mulier ad cameram Sacerdotis: 'Utar,' ille inquit, 'incantatione, quae inducit multas variasque illusiones, ita ut quae non fiunt, fieri videantur. Itaque constantia et firmitate animi opus est, ne res incassum evadat. Videbitur tibi ut te tangam, osculer, amplexer, et secretiora etiam faciam quae vir tuus consuevit: attamen nihil eorum erit; sed ita videbitur ex vi verborum quibus utendum est; quae adeo est efficax, ut quae non sunt, esse videantur.' Consensit mulier, confidens compatriis verbis, et se has praestigias parvi facturam dixit. Sacerdos, multis peractis signis, dictisque in aurem secretioribus verbis, coepit mulierem osculari, et in lectum sternere. Cum illa tremebunda, quidnam compater ageret, quereretur: -- 'Nonne praedixi antea,' inquit, 'quae nulla essent pro veris visum iri?' Ita

mulierem credulam bis cognovit, semper affirmans id nihil esse. Hoc pacto mulier, se delusam falsa imagine existimans, rediit domum.

142 De Eremita Qui Multas Mulieres In Concubitu Habuit

Eremita quidam Paduae erat, Ansimirius nomine, tempore Francisci, Ducis Patavini septimi. Hic, cum vir sanctus haberetur, multas mulieres etiam nobiliores, per confessionis speciem, ad concubitum pellexit. Vulgata tandem (neque enim diu hypocrisis celari potest) scelerum fama, captus a Praetore, cum multa confessus esset, ad Franciscum deducitur. Is, accito Secretario ex suis, quaedam joci causa sciscitabatur ab Eremita, et nomina mulierum quas cognovisset. Quas cum multas, etiam ex domesticis familiaribus, uxores protulisset, scribebat nomina Secretarius, ut exinde causam risus eliceret. Cum tandem nominandis finem fecisse videretur, peteretque Dux an plures superessent, ille vero constanter negaret, asperius hominem arguebat, et vim minabatur Secretarius, nisi omnes retulisset. Tum ille suspirans: -- 'Scribas et tuam quoque,' ait, 'atque eam addas numero aliarum.' Quo dicto, et calamus prae dolore e manibus Secretarii excidit, et Dux in maximum risum est conversus, recte factum esse dicens, ut, qui tanta voluptate reliquorum maculas audiebat, et ipse in eorum coetum adduceretur.

143 De Florentino Quodam Juvene Qui Novercam Suam Subegit

Florentiae, juvenis quidam cum novercam subigeret, ac superveniens pater filium in stupro uxoris deprehendisset, rei novitate indignitateque permotus, clamando objurgare acriter filium coepit. Ille tergiversando peccatum excusabat. Cum diutius elatioribus verbis ambo concertarent, clamore excitus supervenit vicinus quidam, ad jurgia componenda, ignarus rei. Cum peteret contentione causam, illis ob domesticam turpitudinem silentibus, instabat vicinus vehementius ut causam nosceret. Tandem, cum pater in filium causam rejiceret, tum filius prior: 'Hic pater meus admodum indiscretus,' inquit, 'millies matrem meam futuit, me etiam tacente: nunc quia semel uxorem suam cognovi, ut rudis atque inconsultus, coelum clamoribus, veluti insanus, replet.' Risit ille facetum filii responsum, et patrem, quoad potuit, solatus, discessit.

144 Disceptatio Fratrum Minorum Pro Imagine Sancti Francisci Fienda

Fratres quidam Ordinis Minorum decreverant, accersito pictore, ut imaginem Beati Francisci pingeret; sed in forma picturae dissidebant, cum alter stigmaticum, alter ad populum praedicantem, alius alio modo pingendum censeret. In ea disceptatione cum universum diem consumpsissent, nulla certa sententia, pictorem dubium quidnam ageret relinquentes, dormitum iere. Pictor, inspecta Fratrum insulsitate, cum se delusum putaret, figuram eam pinxit fistula sonantem, alii laqueo suspenso dicunt, statimque abiit. Figura inspecta, Fratres, cum pictorem ut male mulctaretur quaesissent, ille vero pedibus sibi consulisset, existimantes summam Religionis contumeliam illatam, pictorem ad poenam quaerebant.

145 De Sacerdote Florentino Qui Hungariam Iverat

Est in Regno Hungariae moris, ut post Missam celebratam, omnes qui adsunt oculis lippientes, accedentes propius altare a Sacerdote aqua in calicem effusa oculos conspergantur. Dicit autem interim Sacerdos verba quaedam ex Sacris Litteris bonam valetudinem precantia. Accessit ad

Hungariam olim Sacerdos quidam Florentinus cum Philippo, qui Hispanus cognominabatur. Hic, cum astante Sigismundo Rege Missam dixisset, accesserunt plures ad eum lippientes, ut aqua de more oculos conspergerentur. At ille existimans id nimio potu et crapula contigisse, assumpto calice (ita enim fieri viderat) astantes respersit dicens lingua Itala: '*Andatamene, che siate morti a ghiado,*' id est, 'Moriimini gladio.' Quod intelligens Rex idemque Imperator, risum continere non potuit. Postridie vero in convivio joci causa verba Sacerdotis referens, lippientes ad iracundiam, caeteros omnes ad risum commovit.

146 Responsio Rustici Ad Patronum Sui Fundi

Rusticus quidam e nostris roganti Patrono fundi, quo maxime tempore pluribus laboribus implicarentur, -- 'Maio,' respondit. Sciscitanti causam, id enim mirum videbatur, cum id temporis quaedam ab opere rustico vacatio esse videatur: -- 'Quoniam,' inquit, 'et nostras, et vestras, nos uxores subigere oportet.'

147 Ridiculosi Hominis Dictum

Romanus quidam nobis notus ascendit semel maceriam in arundineto sitam, ac similis ad populum concionanti, coepit ad arundines loqui, disserens multa de Urbis statu. Inter dicendum, ex levi aura, arundinum capita coeperunt flecti. Homo ridiculus, qui sibi arundines pro hominibus finxerat, tanquam pro concione gratias agerent: 'Non tanta reverentia,' inquit, 'Domini Romani; nam ego ex vobis minimus sum.' Hoc postea in proverbii locum venit.

148 Derisio Hominis Porcum Occidere Volentis

Mos erat in oppido quodam Piceni, ut qui hieme porcum occidisset, viciniam ad coenam invitaret. Quidam quo pacto eam impensam vitaret, compatrem consulit: -- 'Dic,' inquit ille, 'cras, porcum tibi hac nocte furto ablatum.' Et simul, nihil tale illo verente, clam porcum nocte subripuit. Mane conspiciens sibi porcum ablatum, ad compatrem profectus, alta voce querebatur porcum sibi furto subreptum. Tum alter: -- 'Recte, compater mi, sapis,' inquit, 'ita enim te docui locuturum.' Cum ille saepius et per Deos omnes juraret id verum esse, -- 'Bene agis,' respondebat, 'et secundum consilium meum.' Cum ille juramento iteraret, -- 'Hoc modo te loqui debere antea monui,' respondebat, 'et sanum consilium dedi tibi.' Tandem elusus abiit.

149 Dictum Facini Canis

Facinus Canis, Dux armorum, opera Ghibellinae factionis, Ticinum ingressus, ex composito Guelforum tantum bona diripuit. His consumptis, coepit et Ghibellinorum domus exinanire, tanquam Guelforum bonis refertas. Dum illi apud Ducem quererentur, se, cum Ghibellini essent, indigne spoliari, tum Facinus: -- 'Verum dicitis, filii mei, Ghibellini estis omnes, sed bona sunt Guelfa.' Hoc pacto, nullo factionis discrimine, bona omnium direpta sunt.

150 De Adolescente Qui Ignarus Rerum Uxorem Prima Nocte Non Cognovit

Adolescens Bononiensis, stupidi ingenii et insulsi, uxorem duxit adolescentulam forma egregiam. Prima nocte, ignarus rerum, ut qui nunquam mulierem cognovisset, matrimonium non

consummavit. Mane rogatus a socio, quomodo res nocturnae processissent, suspirans, -- 'Male,' inquit; nam cum diu quaesisset uxoris concubitum, tandem illam absque foramine consueto, ut aiebant, ab se repertam. Cognita illius stultitia socius: -- 'Tace,' inquit, 'obsecro, neque verbum hiscas, cum res sit magni pudoris ac periculi, si palam fiat.' Ille, cum auxilium et consilium simul petisset: -- 'Ego laborem pro te subibo,' ait, 'hoc foramen faciendi, si mihi sumptuosam coenam velis praebere: sed octo dierum spatium mihi opus est ad hanc rem, cum admodum sit difficilis, perficiendam.' Annuit autem stultus, et secreto illum cum uxore noctu collocavit, ipse in alio lecto recubans. Transacto spatio, cum via esset admodum patens amici opera, ut sentes non essent timendi, accersito viro, multum diuque se sudasse dixit in obsequium ejus, et tandem confectum foramen, quod quaerebat. Docta adolescentula viro gratulata est, amici labores commendans. Stultus cum uxorem perforatam invenisset, laetus, et socio gratias egit, et coenam persolvit.

151 De Uxore Pastoris Quae De Sacerdote Filium Habuit

Pastoris cujusdam in Rivo frigido, oppidulo montano, uxor cum Sacerdote consueverat coire, ex quo puerum concepit, educavitque in pastoris domo. Cum puer esset septennis, Sacerdos benigne allocutus pastorem, ait tandem eum puerum suum filium esse, rogavitque ut sua voluntate puer ad se migraret: -- 'Minime hoc fiet,' pastor inquit; 'ego puerum pro me volo, qui sit domi natus. Male enim ageretur mecum et cum patrono meo,' inquit, 'si omnes agnos qui ex ovibus alieno ariete compressis oriuntur, traderem arietum patronis.'

152 De Rustico Qui Asinos Onustos Deduxit Frumento

In concilio Perusino, rusticus cum gratiam certam quaereret, tanquam inhonesta postulanti civis unus contradixit. Postridie admonitus homo, tres asinos frumento onustos domum ejus qui contradixerat deduxit: post quartum diem, sententia mutata, multis verbis rustici causam egit. Tum vicinus ejus inter loquendum ad socios inquit: 'Auditisne quemadmodum illi asini rugiunt?' in frumentum susceptum jocatus.

153 Facetum Dictum Pauperis Ad Divitem Frigentem

Dives quidam suffultus vestibus hieme Bononiam proficiscens, reperto inter montana rustico, qui unica tantum et ea contrita tunica indutus erat, admiratus in tanta vi frigoris (nives enim et ventus erat) hominis patientiam, rogavit, numquid non frigeret? -- 'Minime,' alter cum laeto respondisset vultu; stupenti responsum dicentique -- 'Ego sub pellibus algeo; tu seminudus non sentis frigus?' -- 'Si tu,' inquit ille, 'omnes tuas vestes ferres, sicuti ego meas, tu quoque nequaquam frigeres.'

154 De Montano Qui Filiam Desponsare Volebat

Cupiebat ex oppido Pergula montanus desponsare uni ex vicinis juvenem filiam. Quam ille conspicatus, cum ut nimium teneram et adolescentiorem respueret, insulsus pater: -- 'Maturior est,' inquit, 'quam opineris; tres enim jam filios peperit ex clerico Sacerdotis nostri.'

155 De Presbytero Qui Adolescentulae Decimas Dare Praecipit

Brugis, ea nobilis est in Occidente civitas, in qua adolescentula haud admodum scita fatebatur Parochiano peccata sua. Ille, cum inter caetera quaesisset, an debitas decimas traderet sacerdoti, persuasit etiam coitus decimam esse reddendam, quam juvencula, ut se aere alieno liberaret, statim persolvit. Domum tardius reversa, admiranti viro causam morae absque ullo timore dixit. Vir rem dissimulans, post quatrimum Parochianum ad prandium vocavit, nonnullis adhibitis, quo res fieret notior. Cum sederent in mensa, vir, narrata prius fabula, ad Sacerdotem versus: 'Postquam,' inquit, 'tibi rerum omnium uxoris meae debetur decima, et hanc quoque accipias.' Et simul vas stercore et urina uxoris plenum ori Sacerdotis admotum, in mensa libare compulit.

156 De Medico Qui Uxorem Sutoris Infirmam Subegit

Sutor quispiam Florentiae ad uxorem non recte valentem Medicum sibi notum rogavit ire. Ille, absente viro, domum profectus, uxorem ejus, licet reluctantem, compressit in lectulo. Vir rediens, cum Medicum abeuntem, qui se recte mulierem curasse dixit, offendisset, uxorem lacrymantem capite dissoluto invenit. Medici perfidia cognita, rem dissimulavit, et post dies octo, sumpto pretiosiori panno, ad uxorem Medici profectus, dixit se ab eo missum, quo sibi interior tunica (ea *cotta* vocatur) fieret. Opus erat ut mulier, quae forma erat egregia, majori ex parte nudaretur, quo rectius corporis mensura capi posset, ad vestem recte perficiendam. Nudatam, remotis arbitris, sutor comprimit, parem vicem Medico reddens: quod et postea objecit ei.

157 De Florentino Qui Filiam Viduae Desponsaverat

Florentinus, qui sibi scitus videbatur, viduae filiam cum desponsasset, uxoris domum, ut fit, saepius accedens, absente aliquando matre, adolescentulam cognovit. Ex vultu filiae cognita re, mater jurgare acriter illam coepit quae se domumque deshonestasset, demum testans matrimonium illud minime ratum esse futurum, et se acturam enixe ut id solveretur. Rediens vir, qui id observabat, absente socru, cum moestam juvenem deprehendisset, quaesita causa, matris sententiam de distrahendo matrimonio intellexit: 'Quid tu?' ille. -- 'Matri obsequi volo,' respondit. -- 'In tua est potestate,' inquit alter. Cum illa modum quaereret: -- 'Antea,' ait, 'inferiores partes egisti; nunc superior evadas oportet, ut per contrarium actum dissolutio matrimonii fiat.' Consensit illa, et matrimonium dissolvit. Tandem illa virum, ille uxorem alteram duxit. In ejus nuptiis prior sponsa affuit et cum ambo, praeteritorum memoria, invicem subridere coepissent, videns haec nova uxor, et aliquid suspicans mali, noctu rogavit virum, ecquid ille sibi voluisset risus? Tergiversantem detundendo compulit, ut fabulam referret, et simul illius stultitiam accusaret. Tum uxor: -- 'Contristetur,' inquit, 'illam Deus quae tam fuit amens, ut id notum fecisset matri! Quid enim opus erat, ut matri vestrum concubitus referret stulta? Me quidem noster famulus amplius centies cognovit, neque ullum unquam verbum a me innotuit matri.' Tacuit vir, sentiens sibi debitam mercedem impensam.

158 De Foeneratore Vicentino

Foenerator Vicentinus Religiosum, magnae auctoritatis virum, continuos sermones de more ad populum habentem, hortabatur saepius ut acriter inveheretur contra usurarios, detestareturque

quam maxime vitium, quod praecipue in ea urbe vigeret; adeoque instabat, ut quandoque esset molestus Religioso. Admiratus unus tam continuo instantem pro ejus rei castigatione, cujus quaestum ipse faceret, quaesivit quid sibi tam frequens sollicitudo vellet. Tum ille: -- 'Ita multi sunt,' inquit, 'in hoc loco, qui artem usurariam exercent, ut, cum pauci admodum ad me accedant, nihil faciam lucri. Sed si caeteris foenus dissuasum erit, cessabunt ipsi, et pervenient ad me omnium reliquorum emolumenta.' Hoc mihi postea Religiosus ridens retulit.

159 Fabula Facetissima Jannini Coqui

Janninus cocus Baronti Pistoriensis, qui Venetiis coquinariam exercuerat, in convivio Secretariorum retulit fabulam admodum jocosam. Venetus insulsus fuit, qui per injuriam vapulavit. Cum filios habere cuperet, qui acceptam injuriam ulciscerentur, uxor autem esset sterilis, rogavit amicum, qui filiorum procreandorum se opificem optimum profitebatur, ut sibi hoc munus impenderet procreandi. Ille operam studiumque pollicitus, mariti vice fungebatur. Interim, cum semel, relicto ad serendum agrum viro, ne quid ei operi impedimenti afferret, per urbem vagaretur, obvio ac majora minanti inimico: -- 'Ho ho,' quassans caput, 'tace, stulte,' inquit. 'Nescis bene quid te contra agatur domi. Si quidem id scires, nedum contineres minas sed timeres tibi. Fit jam, mihi crede, fit qui faciet vindictam nostram!'

160 De Fatuo Veneto Qui Equitans Calcaria In Sinu Gestabat

Addidit et alterius Veneti haud imparem stultitiam, qui, cum equum ascendisset, rus iturus, calcaria in sinu ferebat. Equus cum pigre tardeque ambularet, ille calcaneis armos saepius percutiendo: 'Tu non moveris?' inquit; 'en, si scires quid in sinu habeam, mutares passum.'

161 De Veneto Insano Quem Pharmacopola Circumforaneus Derisit

Narravit quoque aliam fabulam, in qua plurimum risimus. Ait pharmacopolam circumforaneum Venetias venisse, cujus in vexillo pictus erat Priapus pluribus ligaturis distinctus. Accessit quidam Venetus, quid illa distinctio significaret, quaerens. Ille per jocum ait, membrum suum illius esse naturae, ut quum mulierem prima tantum parte cognosceret, mercatores faceret; secunda milites; tertia Duces; quarta Pontifices: et pretium pro qualibet personarum petebat. Id credens stultus, communicata re cum uxore, domum vocavit hominem, facto pretio, ut sibi filium militem faceret. Cum ad coitum cum uxore ventum esset, maritus simulans se abire, clanculum post lectum secessit. Et cum illi gignendo militi intenti essent, prosiliit fatuus, et culum sessoris vehementer premens, ut quartae quoque partis beneficio uteretur: 'Per Sancta Dei Evangelia, hic erit Papa!' inquit, putans se socium defraudasse.

162 De Veneto Qui, Tervisium Proficiscens, A Servo In Renes Lapide Percussus Est

Venetus, Tervisium profecturus, equo conducto vehebatur, servo pedibus iter faciente. Inter eundem, cum equus servi crus calce percussisset, ille dolore motus, abrepto saxo, equum ulcisci cupiens, casu in renes patroni projecit. Credidit stultus equum id egisse; cum servus, qui tardius ex vulnere incedebat, increparetur a Domino: -- 'Nequeo citius proficisci,' inquit, 'ex equi calce, qua me afflixit.' Tum ille: -- 'Ne cures,' inquit, 'est video admodum calcitrosus; nam et mihi quoque modo calcem magnam in renes dedit.'

163 De Vulpe A Rustico In Palea Abscondita Quae Fugabatur A Canibus

Vulpes olim fugiens in venatione canes, divertit ad Rusticum, qui in area triticum terebat, rogans ut a canibus tueretur, et simul pollicita est nunquam se ejus pullos gallinaceos laesuram. Annuit Rusticus conditioni, et sumptis paleis furcula Vulpem texit. Advenit unus et item alter ex venatoribus, Vulpem quaerens: rogitabant autem Rusticum, numquid Vulpem fugientem vidisset et iter ejus. Ille verbis Vulpem per certam viam diffugisse, nutu vero et oculis latere sub paleis innuebat. Illi, potius ad verba quam nutum respicientes, abierunt. Tum Rusticus, detecta Vulpe: 'Serva,' inquit, 'modo promissa, nam meis verbis evasisti, cum dicerem te abiisse.' At illa, quae sibi timens per rimam inter paleas Rusticum contemplantur diligenter: -- 'Verba tua,' inquit, 'bona fuerunt, sed actus satis mali.' Dictum in eos qui unum verbis, aliud re agunt.

164 De Florentino Qui Equum Emerat

Notus mihi Florentinus Romae empturus necessario equum, pactus est cum venditore, qui 25 aureos pretium carius equo postulabat, se 15 daturum in praesentia, reliquorum vero se debitorem ejus esse velle. Annuit venditor. Postridie cum residuum peteret, solutionem recusans: 'Serva conventa,' emptor inquit. 'Pepigimus quidem ut debitor tuus sim futurus: si autem tibi satisfecissem, non futurus essem amplius debitor.'

165 Facetissimum Histrionis Gonnellae

Gonnella, quondam histrio perfacetus, pollicitus est, ob pauculos nummos, se quemdam Ferrariensem, qui id admodum cupiebat, Divinum esse facturum. Accersito, ut una secum in lecto cubaret, homine, ventum tacitum ventris in lecto emisit, deinde eum in interiorum lectum caput subducere jussit; quo facto, cum ille foetore motus, caputque statim exserens, 'Crepitum ventris edidisti, ut video,' dixisset, tum Gonnella: -- 'Solve nummos, nam recte divinasti,' inquit.

166 Altera Facetia De Uno Qui Divinare Volebat

Alteri quoque, ut divinator fieret optanti: 'Unica,' inquit, 'pillula te Divinum reddam.' Assentienti pillulam e stercore confectam in os praebuit. Ille prae foetore vomitans: 'Stercus,' inquit, 'sapit, quod dedisti.' Tum Gonnella verum illum divinasse affirmavit, et pretium divinationis poposcit.

167 De Prodigis Nuntiatis Eugenio Papae

Hoc anno, mense Octobri, cum iterum Pontifex esset Florentiae, plurima prodigia nuntiata sunt, et ita certis auctoribus, ut fidem abnuere imprudentis videatur. A Como litterae allatae ab honestissimis viris asserentibus ea ad se delata a plurimis, qui id conspexerant, testabantur, a certo loco, qui ultra Comum est mill. passuum 5, vesperi 21. hora, visam esse ingentem canum, qui rubeo colore videbantur, multitudinem ad quatuor millia, iter Alemanniam versus facere. Hanc veluti primam aciem sequebatur boum pecudumque ingens numerus: post hos equites peditesque in turmas cohortesque divisi, scutati plures, adeo magna manu, ut exercitum repraesentarent, quorum partim vix capita, partim sine capite conspiciebantur. Ultima acies erat hominis permagni gigantis more equo altiori insidentis, et ipse magnam jumentorum diversi generis copiam secum ducens. Tres ferme horas eorum transitus fuit longissimo agmine, ut

diversis in locis apparerent: cujus rei plures exstant testes viri foeminaeque, qui etiam propius conspiciendi causa accesserunt. Post solis occasum, veluti ad alia transissent, nequaquam conspecti sunt.

168 Mirandum Conspiciendum

Paucis post diebus, et ab urbe Roma allata sunt alia haud dubia fide, cum manifesta exstant vestigia. Ventorum turbine coorto, die 20. Septembris, muri castelli deserti, qui Borgetus appellatur, prope Urbem mill. passuum 6, et item ecclesia quaedam pervetusta ei loco propinqua, solo tenus dejecta sunt, ita contritis lapidibus, ut manibus hominum disturbata viderentur. Cauponulae quae infra muros erat peregrinantium diversorium, cum in eam plures confugissent, tectum omne sublatum, alioque haud longe in viam translatum est absque hominum nocumento. Turris quoque ecclesiae S. Rufinae longe ab Urbe mill. passuum 10 in ora Transtiberina, mare versus, Casale appellatum, a solo avulsa, prostrataque est. Horum causam multis mirantibus sciscitantibusque, bubulci duo, qui eo in Casali morabantur, agriculturae causa, ad Urbem ob rei novitatem accedentes, retulerunt saepius a se visum in sylvis propinquis inambulantem Cardinalem, qui in sepulchro Adriani ex vulnere nuper decessit, Patriarcham cognominatum, veste desuper linea, ut moris est Cardinalium, et bireto capite contecto, prout deferre consueverat, moestum, lamentantem ac conquerentem. Eo vero tempore, quo ventorum turbo adeo repens fuit (interdiu autem erat), conspectum ab sese in aere inter ventos amplexantem eam turrim, et ab solo a se longius delatam ad terram prostrasse. Complures insuper quercus atque ilices mirae grossitudinis ab radicibus avulsas, atque alio esse delatas. Quibus rebus cum parum fides haberetur, multi cum accessissent, id pro comperto retulerunt.

169 De Notario Florentino Falso

Notarius quidam Florentinus, qui parum quaestus arte sua faciebat, excogitata aliquid lucrandi versutia, adolescentem quemdam adiit, petens, numquid ei satisfactum esset de quingentis florenis, qui olim patri per quemdam jam defunctum mutui causa debebantur? Inscius ille, negavit id debitum in nominibus patris esse. Notarius id instrumento constare ab se facto asserens, juvenem perpulit, ut nummis redempto instrumento apud Praetorem debitum peteret. Citatus filius ejus, qui debitor dicebatur, negavit parentem unquam mutuo quicquam ab alio sumpsisse, cum nihil de ea re (ut mos est mercatoribus) libris suis constaret; statimque ad Notarium profectus, ut falsum hominem arguere coepit, qui, quod nunquam esset actum, scripsisset. Tum Notarius: -- 'Nescis, fili, temporis illius acta,' inquit, 'cum nondum natus esses. Pater quondam tuus eam summam mutuo sumpsit, sed post paucos restituit menses. Ejus rei ego contractum feci, quo liberatus est pater.' Ille, pecunia data, instrumentum redemit, et ea molestia liberatus est. Ita ab utroque nummos bella fraude contraxit.

170 De Monacho Qui Misit Per Foramen Tabulae Priapum

In Piceno est oppidum Esis nomine. In eo Monachus quidam, qui Lupus vocabatur, amabat virginem adolescentiorem. Cui cum multis verbis coitum suasisset, cessit illa tandem precibus; sed cum verita esset ne nimio dolore transfoderetur, paululumque haesitaret, Monachus tabulam ligneam, per cujus foramen telum mitteretur, intermediam se positurum dixit. Dehinc tabula abiegnata, quae pertenuis erat, quaesita ac paulum perforata, ad puellam clanculum adiit, missoque

per foramen Priapo, qui adhuc dormiebat, cum puellam deosculari suaviter coepisset, sublatis vestibus cibum concupitum quaerebat. Virga vero, suavitate oris et inferioris partis tactu expergefata, coepit admodum et praeter mensuram foraminis tumescere, adeo ut valde constricta teneretur. Res ita in arcto erat, ut neque ingredi, neque egredi absque magno dolore posset. Versa in dolorem voluptate, clamare et gemere Monachus coepit nimio vexatus cruciatu. Exterrita puella, cum osculo solari hominem vellet, et rem optatam perficere, in doloris levamen, tormentum augebat; nam cum ea ex re virga tumentior fieret, eo arctius torquebatur. Cruciabatur miser, petens aquam frigidam, qua abluto telo tumor ille resideret. Virgo, quae domesticos timeret, aquam petere non audebat. Tandem hominis clamore doloreque percita, aquam advexit. Ea perfuso inguine, et ea parte quae tabulae inserta erat, paululum tumor abiit. Monachus, cum jam strepitum quemdam domi fieri persentiret, abeundi cupidus, e tabula membrum deduxit, majori ex parte decoriatum. Medicum cum morbo quaesisset, fabula palam facta est. Si caeteris tanto sua vitia constarent, plures fierent continentiores.

171 Horribile De Puero Qui Infantulos Comedebat

Inseram his nostris confabulationibus rem nefandam horrendamque, nullis antea saeculis auditam, quam ego quoque fabulosam existimabam, quoad litteris cujusdam Regii Secretarii certior factus sum, verum esse quod fatebatur. Sententia particulae litterarum his ferme verbis explicabatur: 'Rem monstro similem accessisse prope Neapolim decem millibus passuum, in montibus Summae, quod est castrum eo loci situm. Puer Lombardus tredecim annorum captus est, et ad Praetorem perductus, qui jam duos infantulos trium annorum comederat. Seducebat eos blanditiis in speluncam quamdam, atque ibi suspensos in frustra partiebatur, partim crudas a recenti caede carnes edens, partim igni coctas. Fessus est se plures alios comedisse, idque se agere, quoniam sapidiores reliquis carnibus viderentur; seque denuo comesturum, si posset. Cum dubitaretur insania ne hoc faceret, consulte ad caetera respondit, ut feritate, non dementia factum constaret.'

172 De Equite Florentino Qui, Fingens Se Iturum Foras, Inscia Conjuge In Cubiculo Latuit

Eques Florentinus podagrosus, cujus nomen honoris causa reticeo, habebat uxorem, quae in dispensatorem domus oculos conjecerat. Id viro cum esset perspectum, ac die festo simulasset se foras iturum, in cubiculo, inscia uxore, latuit. Illa e vestigio virum abesse rata, dispensatore clanculum accersito: 'Volo,' inquit, post aliqua primi congressus verba, 'ut ludum aliquem inter nos ineamus.' Cum ille annueret: 'Simulemus,' ait mulier, 'bellum inter nos esse, et pacem postea faciemus.' Altero modum quaerente: -- 'Luctemur paululum,' inquit, 'et cum me ad terram prostraveris, telum inferas in meum vulnus, tuncque mutuis osculis pacem constituemus.' Placuit illi, cum semper pacem audisset laudari ab omnibus, pax tam suavis futura. Cum vero recumbentes ad pacem se pararent, tum vir e latebra egrediens: 'Centum jam ego diebus meis,' inquit, 'paces perfeci. Hanc ego unam tantum dirimam, praeter consuetudinem meam.' Ita pace infecta abierunt.

173 De Quodam Volente Se Videri Summae Castitatis, In Adulterio Comprehenso

Quidam civis noster, qui se castum summaeque religionis videri volebat, semel deprehensus a socio in coitu inhonesto, acriter ab illo reprehensus est, quod castitatem praedicans, in id facinus

laberetur. Tum alter: -- 'Oh! Oh!' inquit, 'non propter luxuriam, ut forsitan putas, sed ad domandam macerandamque hanc miseram carnem, et ad purgandos renes, hoc ago.' Ita et isti pessimi hypocritae quibus omnia oppleta sunt faciunt, qui semper eorum ambitionem et scelera sub aliquo honesti velamento contegi volunt.

174 Ad Idem

Eremita, qui Pisis morabatur, tempore Petri Gambacurtae, meretricem noctu in suam cellulam deduxit, vigesiesque ea nocte mulierem cognovit, semper cum moveret clunes, ut crimen fugeret luxuriae, vulgaribus verbis dicens: '*Domati, carne cativella,*' hoc est: 'Doma te, miserrima caro.' Quod cum retulisset meretrix, ille urbe pulsus est.

175 De Paupere Qui Navicula Victum Quaerebat

Pauperculus, qui navicula ad flumen transportandis hominibus victum quaerebat, cum neminem una die transvexisset, seroque moestus domum rediret, apparuit longe quidam clamitans, ut veheretur. Ille, lucellum sperans, cum redisset, laetus hominem traduxit. Cum pecuniam peteret, ille enixe jurans nullos sibi nummos adesse, se sapientiam illi pro nummis daturum pollicetur: -- 'Quid?' nauta inquit, 'num familia mea esuriens sapientia pro cibo pasci potest?' -- 'Hoc solo,' alter ait, 'tibi satis possum facere.' Ille subiratus, petens quaenam haec esset sapientia: -- 'Ut nunquam,' ait, 'quempiam transportes de caetero, nisi prius pecunia recepta; tum ut nunquam dicas uxori cuiquam majus genitale membrum quam tibi esse.' His auditis, moestus domum rediit. Uxor quid quaestus fecisset ad emendum panem cum percontaretur, vir pro lucro sapientiam se reportasse affirmat, remque narrans ordine, traditam sapientiam refert. Mulier, cum ad genitale aurem erexisset: 'Numquid, mi vir,' inquit, 'non omnes aequa mensura estis?' -- 'Vah!' respondit, 'magna est inter nos differentia. Nam Sacerdos noster dimidio ferme nos omnes excedit,' et brachium extendens mensuram descripsit. Illa statim in Sacerdotem accensa, nunquam destitit quoad, vir an vere dixisset, quam primum experiretur. Ita, sapientia in stultitiam versa, docuit reticenda nobis esse quae sunt nocitura.

176 De Quodam Insulso Mediolanensi Qui In Scriptis Porrexit Peccata Sua Sacerdoti

Mediolanensis quidam, sive stultus, sive hypocrita, sive obliviosus, cum libellum quemdam pergrandem suorum errorum scripsisset, profectus est semel ad virum doctissimum inque ea re admodum peritum, Antonium Raudenensem Mediolanensem, ex Ordine Minorum, ut ei peccata sua confiteretur, libelloque porrecto, rogavit ut eum legeret, qui contineret confessionem suam. Vir scitus et prudens, qui eam lectionem plurimi temporis esse videret, stultitia hominis cognita, paucis illum verbosum interrogans: 'Ab omnibus te,' inquit, 'quae in hoc codice continentur, absolvo.' Cum alter, quam sibi poenitentiam injungeret, rogaret: -- 'Ut per mensem hunc,' inquit, 'tuum libellum septies in die legas.' Cum id a se fieri posse negaret, perstitit Confessor in sententia. Ita fatui verbositas responso superata est.

177 De Quodam Qui Visitando Affines Uxoris Volebat A Socio Commendari

Desponsaverat uxorem quidam haud satis firma valetudine, et minime opulentus. Accersitus aestate ad coenam ab uxoris parentibus, duxit secum amicum quemdam, rogans, ut semper verbis

augeret ea quae ab se dicerentur. Laudante socru tunicam qua vestitus erat, se aliam multo pulchriorem gener habere dixit. Tum socius praeter eam alteram etiam duplo pretiosiore illi esse asseveravit. Rogante socero ecquas possessiones haberet, se praedium extra oppidum possidere ait, quod victum suppeditaret: -- 'Non meministi,' inquit socius, 'et alterius praedii, quod illo multo est elegantius, ex quo plurimos nummos contrahis?' Deinde ad singula quae ab illo jactabantur, socius duplum conferebat. Cum vero parum quid ederet, socerque hortaretur ad cibum: -- 'Non bene me,' inquit, 'aestate habeo.' Hic socius, ut solitam jactantiam servaret: -- 'Plus multo quam dicat est,' inquit; 'nam aestate male se habet, et multo pejus hieme.' His verbis cum risissent omnes levissimi hominis jactantiam ad falsam laudem quaesitam, stultitiae praemium tulit.

178 De Pasquino Quodam Senensi Qui Imposuit Cuidam Ex Statu Ut Creparet

Pasquinus Senensis, vir dicax ac jocosus, mutato statu civitatis, cum exul a patria Ferrariam se contulisset, accessit ad eum visendi gratia civis quidam Senensis, haud magni vir pretii, qui ex Venetiis Senas redibat. Comiter a Pasquino susceptus, cum inter loquendum suam ille operam, si quid in ejus gratiam agere posset, Senis polliceretur, et aliquid se posse ad jactantiam ostendens, subderet: 'Ego sum de corpore praesentis Status,' tum Pasquinus: -- 'Utinam cito crepet id corpus,' inquit, 'ut tu tuique similes ex eo quam primum egrediantur!' Facete jactantiam hominis castigavit.

179 De Doctore Qui Litterali Sermone Loquebatur In Avibus Capiendis Et Indoctus Erat

Doctor Mediolanensis, indoctus, atque insulsus, hominem qui ad capiendas aves cum noctua proficiscebatur, rogavit, ut se, qui id videre cupiebat, ad capturam avium secum duceret. Annuit auceps, et hominem frondibus contactum juxta noctuam statuit, ea conditione ne verbum faceret, ne aves terrerentur. Cum aviculae plures convenissent, stultus ille e vestigio clamavit aviculas multas adesse, ut rete contraheret. Illae audita voce diffugerunt. Increpatus acriter ab aucupe, silentium est pollicitus; aves cum iterum convenissent, e vestigio stultus verbis Latinis, 'Aves permultae sunt!' inquit, existimans quae ab eo Latine dicebantur, aves minime intellecturas. Rursus fugientibus avibus, cum auceps captura frustraretur, hominem acerrime, quod locutus esset, objurgavit. Tum alter: -- 'Numquid Latine sciunt,' inquit, 'aves?' Existimavit Doctor ille, non ad sonum, sed ad sensum verborum, tanquam ab se intellectam vocem, aves diffugisse.

180 De Muliere Se Credente Ad Laudem Trahi, Confitendo Latiorem Vulvam Habere

Subigebatur ab adultero mulier Senensis. Hic cum post coitum in ejus contumeliam dixisset, se nunquam in alia latiore vulvam reperisse, illa existimans id sibi laudi esse: -- 'Ex gratia tua hoc,' inquit, 'dicis, non meo merito: utinam mihi ea, quam profers, adesset copia! nam multo propterea me nobiliorem, et majori existimandam reputarem.'

181 De Adolescentula Laborante Ex Partu Facetum

Adolescentula paulo simplicior, Florentiae, laborabat ex partu, magno dolore constituta. Cum diutius summo cruciatu distraheretur, et aliquando obstetrix, sumpto lumine, secretiora illius inspiceret, an nondum infans egrederetur, posticum etiam, an ea prodiret infans, inspicere jussit,

nam et secum ea quoque parte quandoque virum coisse ait.

182 De Quodam Qui Romanum Adolescentulum Admodum Laudavit

Romanum adolescentulum admodum formosum, sed honestate praeditum, certe deditum studiis litterarum, laudabat summopere quidam e nostris, formam moresque ejus multis verbis extollens. Et cum plures in eum laudes conguessisset, tandem: 'Existimo,' inquit, 'Jesum Christum nostrum, cum id esset aetatis, nequaquam alia atque ista forma fuisse.' Ingens laus formae, ut qua nullam exquisitiorem neque Demosthenes, neque Cicero adinvenisset!

183 De Pluribus Qui Diversa Bona Sibi Optabant

Erant complures Florentiae colloquentes, et sibi diversa bona optantes, ut fit. Cum alter se Pontificem Maximum, alter Regem, alter quippiam aliud se velle esse asseveraret, tum puer loquaculus, qui aderat: 'Ego,' inquit, 'pepo esse vellem.' Rogatus quam ob causam: -- 'Quoniam omnes mihi culum olfacerent,' respondit. Est enim mos frequens, ut melones empturi posteriorem olfaciant partem.

184 De Mercatore Qui, Laudando Uxorem Suam, Asserebat Eam Nunquam Crepitum Edidisse

Mercator quidam, coram Domino, cui subditus erat, uxorem inter caetera commendans, cum dixisset illam nunquam ventris crepitum edidisse, admiratur Dominus, idque negans fieri potuisse, posito inter eos opiparae coenae pignore, quod, antequam tres exissent menses, aliquos crepitus ederet uxor, mercatorem postridie rogavit, ut quingentos sibi aureos infra octo dies reddendos mutuo concederet. Gravabatur ille tantam summam ab eo mutuo concedendam. Assensit aegre tamen et pecuniam concessit. Cum sollicitus diem conventum exspectasset, accessit ad Dominum, creditam pecuniam poscens. Alter, tanquam re graviori pressus, rogavit mercatorem, velut in arcto constitutus, ut pro re admodum gravi alios quingentos mutuaret, et se omnes infra mensem pollicetur restitutum. Cum bonus vir, diutius inopiam praeferebat, denegasset, tamen, ne et reliquorum solutio deficeret, multis suspiriis et alios quingentos attulit. Domum reversus, moestus atque animo aeger, multa cogitans, plurima dubitans, agebat noctes insomnes. Vigilans saepius, audivit uxorem dormientem edere ventris crepitus. Post mensem, Dominus mercatorem ad se vocavit, sciscitans an unquam postea uxorem crepitantem audisset. Tum ille, errorem suum confessus: -- 'Toties,' inquit, 'ut nedum coena, sed patrimonium consumendum fuisset.' Hoc dicto, pecuniae redditae, et coena soluta. Multa itaque subterfugiunt dormientes.

185 Sapientissima Responsio Contra Detractorem

Loisius Marsilius, ex Ordine Augustinensium, fuit nuper Florentiae, vir excellenti ingenio et doctrina. Hic senex educaverat institueratque in studiis humanitatis pauperem adolescentem nomine Joannem (quem novimus) contribulem nostrum, adeo ut postea vir doctissimus evaderet. Florentinus quidam condiscipulus (plures enim discendi gratia ad senem confluebant) invidia motus, coepit occulte detrahere apud Magistrum adolescenti, asserens eum veluti ingratum male de eo et sentire et loqui. Id cum saepius egisset, tunc senex, qui erat prudentissimus: 'Quanto,'

inquit, 'tempore Joannem nosti?' Cum detractor haud amplius annum respondisset: -- 'Miror,' ait, 'adeo sapientem te existimari et me stultum velle, ut putes melius anno quam me decennio, quo mecum vixit, naturam et mores Joannis nosse.' Sapientissima responsio, et detractantem nequitiae coarguens, et adolescentis fidem commendans. Hac si plures uterentur, minor esset invidiae et detractationi locus.

186 Faceta Cujusdam Responsio Multis Episcopis Accommodata

Idem rogatus ab amico, quidnam sibi vellent duo veluti apices in Episcoporum mitris constituti, respondit significari anteriori Novum, posteriori Vetus Testamentum, quae ipsi tenere memoria deberent. Procedens ulterius percontator, cum quaesisset quid etiam significarent duae veluti corrigiae, quae a mitra post renes pendent: -- 'Neutrum illorum,' inquit, 'Episcopos scire.' Faceta responsio et multis Episcopis accommodata.

187 Facetum Dictum Cujusdam In Franciscum Philelphum

Cum in palatio Apostolico, in coetu Secretariorum, cui et multi viri doctissimi (ut solet) aderant, sermo de impura inquinataque vita scelestissimi hominis, Francisci Philelphi, ortus esset, multique multa in eum scelera coniecissent, quaesivit quispiam, an Philelphus genere nobilis esset. Tum unus contribulis ejus, optimus vir et admodum facetus, vultu ad gravitatem composito: 'Apprime,' inquit, 'maxima is fulget nobilitate, nam pater ejus semper mane vestes sericas induebat,' denotans eum sacerdotis filium. Vestimenta enim, quibus presbyteri in sacris utuntur, ut plurimum serica existunt.

188 Contra Eumdem Facetia

Tum alter non injucundus vir: 'Non mirum est,' inquit, 'si, nepos Jovis, gesta parentum imitatus, et alteram Europam rapuit, et alterum Ganymedem,' denotans eum et virginem Graecam, Joannis Chrysolorae filiam, ab eo stupratam in Italiam advexisse, et quemdam adolescentem Patavinum ab eo propter formam in Graeciam advectum.

189 De Lenone Facto Ex Notario

Erat Notarius Gallicus Avinione, in Romana Curia admodum scitus, qui, cum publici scorti amore captus artem Notarii descisset, quaestu meretricio vitam agebat. Is, cum Calendis Januarii, quod est anni principium, novam vestem induisset, in manica litteris argenteis adscripsit verbis Gallicis: *De bene in melius*. Visum est sibi lenonis exercitium priori esse honore praefendum.

190 Facetum Cujusdam Petrilli Ut Liberaret Hospitale A Sordidis

Cardinalis Barensis, Neapolitanus genere, tenebat hospitale Vercellis in Gallia Citeriori, ex quo parum percipiebat emolumentum, propter impensas quae in pauperes ibi fiebant. Misit ergo de suis quemdam, Petrillum nomine, ad colligendum pecunias. At ille, cum hospitale refertum variis languidis ac morboris, qui bona illius loci absumebant, conspexisset, vestimentis Medici indutus, hospitale ingressus est, visisque diversi generis ulceribus, cum omnes convocasset: 'Nulla,' inquit, 'medela utilis ad sanandum ulcera vestra adhiberi potest, nisi ex pinguedine hominis

unguentum fiat. Itaque inter vos hodie sortem jaciam, quis pro salute caeterorum vivus in aqua poni ac coqui debeat.' Singuli his verbis terri aufugerunt, ne mortis sors in eum caderet: eo modo hospitale impensa sordidorum hominum liberavit.

191 Facetia Cujusdam Qui Subagitabat Omnes De Domo

Florentinus quidam habebat domi juvenem, qui filios litteras doceret. Is diutina consuetudine, primo ancillam, tum nutricem, deinde patronam, postremo etiam discipulos cognovit. Hoc cum rescisset pater, erat enim homo perfacetus, vocato in secretius cubiculum juvene: 'Postquam,' inquit, 'omnes meos subegisti (quod tibi vertat bene), ne quis excipiatur hac sorte, et me quoque subagites, volo.'

192 De Sono

Erat olim tempore Bonifacii Noni sermo inter quosdam, quis ex omnibus jucundior ac suavior esset sonus. Aliis aliud praeferentibus, Litus Imolensis, Secretarius Cardinalis Florentini, ejus qui vere Cardinalis fuit, campanulam caeteris sonis jucundiosem esurienti videri dixit. Mos est enim Cardinalibus ut familiam ad prandium atque coenam sono campanulae vocent, qui cum tardiusculus fit quandoque quam ferat multorum appetitus, auditus fert summam esurienti voluptatem. Itaque omnes illum recte sensisse judicarunt, et hi praesertim qui id saepius fuerant experti.

193 De Filio Principis Muto, Jussu Patris, Propter Linguam Maledicam

Principi olim Hispano erat filius adultus linguae maledicae ac contumeliosae, qua ex re multorum odia contraxerat: ob eam causam pater filio, ut perpetuo sileret, cum indixisset, paruit ille. Accidit interea ut solempni convivio Regis, praesente Regina, ambo interessent. Adolescens ad caetera industrius, cum ministraret, ut mutus, patri, Regina (ea impudica erat), vere mutum surdumque existimans, et sibi id conducere, rogavit patrem ut secum esse filium pateretur. Id cum impetrasset, adhibuit eum secretioribus rebus, ita ut impudicitiae saepe testis esset. Simili iterum convivio pater post biennium adfuit. Rex interim viderat saepius adolescentem, quem omnes mutum putabant. Hic cum Reginae ministraret, petiit patrem Rex, casune an natura filius mutus evasisset: neutrum, ille respondit, sed jussu suo ob linguae maledicentiam. Rogavit Rex ut licentiam permetteret loquendi. Cum diutius pater restitisset, dicens aliquid scandali secuturum, tandem Regis praecepto loqui filium, si vellet, jussit. Ille imprimis ad Regem conversus: 'Habet uxorem,' inquit, 'eam, qua nunquam aliqua prostituta meretrix impudentior, aut improbior fuit.' Confusus Rex prohibuit amplius loqui. Mos est quorundam ut, licet raro, tamen semper loquantur male.

194 Cujusdam Tutoris Factum

Dacconus de Ardingellis, civis Florentinus, relictus tutor cuidam pupillo, cum bona illius diutius administrasset, omniaque gulae causa absumpsisset, tandem, cum posceretur ratio gestorum, jussus a Magistratu producere Libros Introitus, ut aiunt, et Exitus, os et nates ostendit: dicens

nullos sibi, nisi illos, alterum introitus, alterum exitus, libros esse.

195 De Fratrem Qui Cognovit Commatrem Malitia Faceta

Frater quidam Mendicantium injecerat oculos in commatrem adolescentem pulchram, maximeque torquebatur amore illius. Cum puderet aliquid inhonestum ab ea petere, excogitavit versutia mulierem decipere. Pluribus diebus fasciatum detulit indicem digitum, simulans se maximo dolore torqueri. Tandem diutius conquerente illo, rogavit commater, num quae remedia expertus esset: Multa, ille respondit, sed nihil profuisse; uno autem medicamento, quod quidam Medicus suasisset, se uti non posse, et id tale esse, ut erubesceret proferre. Hortante muliere, ne puderet loqui quae ad medelam tanti morbi spectarent, ille, velut admodum timidus aut digitum abscindendum esse ait, aut in natura mulieris esse aliquandiu tenendum, quoad ex calore ulcus maceraretur: sed non audere se propter honestatem id ab aliqua petere. Commater, pietate mota, suam operam pollicetur. Ille, ex verecundia, loco tenebroso opus esse dixit: non enim se in luce ausurum tali obsequio uti. Consensit mulier, nil mali verita. Ille, ut in obscurum ventum est, recumbente muliere, primo digitum, deinde Priapum in vulva inseruit: quo facto, ulcus apertum esse dixit, et saniam emisisse. Ita index liberatus est.

196 Facetissimum Angelotti Dictum De Cardinali Graeco Barbato

Angelottus Romanus Cardinalis, in multis perfacetus, cum Cardinalis Graecus ad Curiam, prolixa de more barba, venisset, mirantibus aliquandiu multis illum barbam non deponere praeter consuetudinem caeterorum: -- 'Bene se hoc habet,' inquit, 'nam inter tot capras, percommode residet unus hircus.'

197 De Quodam Equestre Corpulento

Equestrem quemdam admodum corpulentum urbem Perusium ingressum, cum permulti (natura enim ad facetiam sunt prompti) anteriori contra morem equi parte jocando ferre mallam dicerent, ille faceto responso: -- 'Atqui ita est opus,' inquit, 'in urbe furibus ac latronibus referta.'

198 Facetum Cujusdam Judicis In Advocatum Qui Allegavit 'Clementinam' Et 'Novellam'

Causa quaedam testamentaria tractabatur Venetiis apud Judices in certa Curia saeculari. Aderant Advocati partium, quisque sui clientis jus defendens. Alter et sacerdos, qui testem suae defensionis attulit *Clementinam* et *Novellam* certam sententiam earum referens. Tum ex Judicibus grandaevus quidam, cui ea nomina ignota erant, et qui parum cum Salomone commercii contraxerat, truci vultu in Advocatum versus: 'Quid diabole, tu,' inquit, 'non erubescis coram talibus viris foeminas impudicas et meretriculas nominare, earum verba pro sententiis a nobis comprobari putans?' Existimavit vir ille stolidus *Clementinae* et *Novellae* non Legum, sed foeminarum nomina esse, quas ille pro concubinis haberet domi.

199 Remedium Ad Frigus Evitandum

Quaerenti aliquando mihi, quomodo nocte frigus in lecto vitaretur: -- 'Eo,' quidam astans ait, 'quo socius meus, dum vacaret studiis, utebatur. Nam cum semper solitus esset post coenam ventrem

purgare, quandoque eo usu abstinebat, asserens retentum stercus calefacere noctu corpus.'
Remedium frigoris desuetum.

200 De Praedicatore Quodam

Praedicator ad populum in festo Sancti Christophori multis verbis extollebat Sanctum, quod Christum suis humeris portasset, saepius interrogans: 'Ecquis tantam habuisset in terris praerogativam, ut Salvatorem ferret?' Et cum molestius in hac interrogatione perseveraret: 'Quis, inquam, simili fuisset gratia?' Ex astantibus facetus quidam frequenti interrogatione pertaesus: 'Asinus,' inquit, 'qui et filium et matrem portavit.'

201 De Adolescentula Segregata A Viro

Adolescens quidam Veronensis praestanti forma adolescentulam uxorem duxit. Is cum plus aequo indulgeret matrimonio, pallorem vultus macies ac debilitas corporis secuta est. Mater filio sollicita, ac deteriores morbum verita, filium rus longe ab uxore ablegabat. Illa, viri moerens desiderio, coeuntes passeris conspicata: 'Abite' inquit, 'ne si vos socrus conspiciat, et vos alio in diversa distrahat loca.'

202 De Duorum Contentione Pro Eodem Insigni Armorum

Genuensis onerariae navis patronus, qui in Gallia conductus a Rege adversus Anglicos navigavit, gestabat scutum in quo bovis caput depictum erat. Conspicatus hunc Gallicus Nobilis, cum illud armorum insigne sibi vindicaret, orta altercatione, Gallicus Genuensem ad certamen provocavit. Genuensis, accepta provocatione, in campum ad certamen nullo apparatu descendit: alter multis impensis ornatissimis in campum constitutum venit. Tum Genuensis: 'Quid est,' inquit, 'propter quod certaturi hodie invicem sumus?' Ille: -- 'Assero,' inquit, 'tua insignia mea meorumque prius quam tuorum fuisse.' Cum Genuensis quaenam sua esse diceret: -- 'Caput bovis,' ait. Hic Genuensis: -- 'Non est opus certamine aliquo,' inquit; 'nam hoc, quod porto, non bovis, sed vaccae est caput.' Faceto dicto inanis Gallici jactantia est elusa.

203 Facetum Medici Qui Sorte Medelas Dabat

Mos est in urbe Roma, ut infirmi urina mittatur ad Medicum, cum uno aut duobus argenteis nummis, ut consulat sanitati. Quidam Medicus, quem ipse novi, varia nocte remedia morbis scribebat in cedula (quas *receptas* vocant). Eas omnes in sacculum ponebat. Mane cum urinae ad eum deferrentur, postulato remedio, ille manum ponebat ad sacculum, casu quae in manum incideret sumpturus, dicens, inter capiendum, petenti, vulgaribus verbis: '*Prega Dio te la mandi buona*,' id est: 'Roga Deum ut sortiaris bonam.' Misera eorum conditio, quibus non ratio sed fortuna opitulabatur.

204 Exploratio Ad Hominem Tristem Ob Pecuniam Debitam

Deambulabat Perusinus quidam per vicum cogitabundus ac moestus, quem cum obivus interrogasset quid eum torqueret, atque ille respondisset se pecuniam debere quam nequiret exsolvere: -- 'Vah,' inquit, 'stulte, relinque has cogitationes creditori.'

205 De Poena Imposita Graecis Et Genuensibus Homicidis

Quidam Genuenses habitantes Perae (ea est Genuensium civitas prope Constantinopolim) cum, negotiandi causa, Constantinopolim divertissent, orta inter eos ac Graecos discordia, partim ex eis interfecti, partim vulnerati sunt. Cum peteretur ab Imperatore justitiam de homicidis fieri, ille prompte se id facturum pollicitus, barbam Graecis, in poenam sceleris, radi jussit, quae mulcta apud eos ignominiosa habetur. Praetor Genuensium, qui erat Perae, se delusum putans, consanguineis Genuensium promisit ut ipsemet suas injurias ulcisceretur. Sumpto itaque tempore, Constantinopolim ingressi nonnullos Graecos occiderunt ac vulneraverunt. Ingens querela statim ad Praetorem Perae ab Imperatore defertur, poenam maleficii postulante. Ille se puniturum maleficos libere asserens, die ad poenam praestituta, captos homicidas reliquosque in publicum produci jussit, tanquam illos capite mulctaturus. Convenerant ad famam rei tum Graeci permulti, tum populus universus Perae, exspectantes poenam; sacerdotesque aderant parati cum crucibus, veluti elaturi cadavera mortuorum. Tum Praetor, silentio per praeconem facto, omnibus maleficii reis culum radi fecit, asserens Genuenses barbam, non in facie, sed circa nates ferre. Ita rasura et faciei et culi aequata maleficii poena est.

206 Facetum Contra Romanos Qui Edunt 'Virtutes'

Calendis Maii, Romani varia leguminum genera, quae *virtutes* appellant, simul coquunt mane eduntque. Franciscus Lavegnis, Mediolanensis, per jocum, cum is mos recitaretur inter socios: -- 'Nequaquam mirum est,' inquit, 'Romanos a superioribus degenerasse, cum singulis annis eorum *virtutes* edendo absumant.'

207 De Quodam Qui Vovit Candelam Virgini Mariae

Cum essem in Anglia, audivi facetum dictum cujusdam Magistri onerariae navis, qui erat Hibernicus. Jactabatur magnis in mari fluctibus navis, et tempestate quassabatur, adeo ut salutem omnes desperarent. Magister, si salva navis evaderet tempestatem, cuidam ecclesiae Dei Genitricis Virginis Mariae, quae ante ob similia miracula insignis erat, vovit candelam ceream, instar mali navis. Tum socius cum votum culparet ut difficillimum factu, cum in tota Anglia tantum cerae non esse affirmaret ut talis candela posset confici: -- 'Oho! tace,' inquit Magister, 'et quantumlibet Matri Dei pollicear, dummodo periculum evadamus, sine. Nam si salvabimur, candela parvi nummuli contenta erit.'

208 Facetum Item De Alio Qui Fecit Votum Sancto Cyriaco

In eamdem sententiam Anconitanus quidam mercator in Sanctum Cyriacum (quem civitas barba promissa depictum patronum colit), jocatus est. Jactata magnis aliquando fluctibus navi, mortem veritus domum Cyriaco infra certum tempus se daturum vovit. Eo elapso, id Antistiti ecclesiae per confessionem fassus est. Sacerdos (utile enim id sibi futurum erat) ad exsolvendum votum hortatur. Ille se tanto onere exsoluturum pollicitus, cum saepius, et non absque reprehensione promissi nimium dilati, admoneretur, seu molestia Sacerdotis tam frequenter monentis, seu impietate motus, semel interpellatus: -- 'Ohe! ne me amplius hac de re obtundas,' ait, 'nam majorem, quam qua Cyriacus est, jam barbam decepi.'

209 Mulier Vidua Quae Cupiebat Habere Virum Provecta Aetate

Mulier Vidua cum diceret vicinae, se, licet jam de vita hujus saeculi non curaret, cupere tamen virum quietum provecta aetate, societatis potius et communis vitae subsidii, quam alterius rei causa, cum potius de salute animae quam corporis lascivia esset cogitandum: illa inventuram se ejusmodi virum pollicita, postridie ad Viduam redit, et se comperisse virum testatur, in quo omnes, quas cuperet, virtutes inessent, et illum imprimis, quod ipsa optare videretur, mancum virilibus esse. Tum Vidua: -- 'Istum,' inquit, 'ego virum nullo pacto volo. Nam si Pacialis' (ita enim hominum appellavit Genitorem) 'desit, quis Mediator (pacifice enim cum viro vivendum est), si quando, ut fit, altercatio gravior aut discordia invicem oriretur, constitueret inter nos pacem?'

210 De Quodam Fratre Abbatissam Inpraegnante

Abbatissam certi monasterii de Urbe, quam novi, cum amaret Frater Ordinis Minorum, petiit saepius concubitum ejus. Id deneganti mulieri, eo quod vereretur ne conciperet, et exinde poenam metuenti, pollicitus est Frater quoddam *breve*, ut appellant, se illi daturum, quod si ad collum filo sericeo suspensum ferret, prohiberet prolem, ut eo modo segura coire cum quocumque vellet posset. Credidit illa quod optabat: Frater mulierem saepius compressit. Post tres menses, mulier gravida comperta est. Id resciscens Frater aufugit. Abbatissa se delusam conspiciens, *breve* illud dissolvit, aperuitque, ut videret quid intus esset scriptum. Verba haec erant vulgaria: *Asca imbarasca, non facias te supponi, et non implebis tascam*. Optima ad prohibendam fecunditatem incantatio.

211 Cujusdam Pueri Miranda Responsio In Angelottum Cardinalem

Angelotto, Cardinali Romano, homini mordaci et ad jurgandum prompto, verborum satis, prudentiae parum erat. Ad eum, cum Pontifex Eugenius esset Florentiae, accessit visitandi gratia puer decennis, admodum scitus, usus paucis verbis, oratione satis luculenta. Admiratus Angelottus pueri gravitatem suavitatemque dicendi, ac nonnulla percunctatus ad quae puer scite respondit, versus ad astantes: 'Simili ingenio et ita docti a pueritia,' inquit, 'crescentibus annis decrescunt intellectu, et stultiores provecta aetate evadunt.' Tum puer extemplo: -- 'Doctissimus ergo profecto sapientissimusque prae caeteris vos in teneris annis esse debuistis.' Obstipuit subito faceteque responso Cardinalis, stultitiae ab illo reprehensus, quem ferme infantem viderat.

212 De Discipulo Cerdonis Qui Subagitabat Uxorem Magistri

Aretii discipulus cerdonis saepius domum redibat, simulans se ibi commodius calceos suere. Orta ex frequenti recessu suspicione, cerdo domum cum insperato redisset, discipulum subagitantem uxorem deprehendit, in quem conversus cerdo: 'Pro istiusmodi sutura,' inquit, 'nedum pecunias dem tibi, sed habeto gratias malas.'

213 Facetia Cujusdam Adolescentulae Quae Emittebat Petum

Nupta adolescentula ad parentes proficiscens, cum per sylvam iter cum viro faceret, conspectis nonnullis ovibus quas arietes subigebant, quaesivit cur potius cum illis quam cum aliis coirent.

Vir, jocando: -- 'Quae crepitum facit ovis,' inquit, 'statim comprimitur ab ariete.' Petiit illa numquid et viris id moris esset. Cum vir annuisset, illa statim crepitum edidit; vir joco suo deprehensus uxorem cognovit. Cum deinde paulum viae processissent, iterum mulier pepedit. Vir denuo matrimonio usus est. Cum jam ad finem nemoris pervenissent, foemina, tali ludo gaudens, tertio petum emisit. Tunc vir, coeundo et ambulando fessus: 'Non si cor cacares,' ait, 'te amplius subagitarem.'

214 Quid Sit Acceptius Deo, Dicere Aut Facere?

Facetus quidam notus meus petivit a Religioso, utrum esset Deo acceptius, dicere aut facere? Ille facere cum dixisset: -- 'Ergo,' ait alter, 'plus meretur qui facit *Noster Pater*, quam qui dicit.'

215 De Aegyptio Hortato Ad Fidem

Hortatus est Christianus quemdam infidelem Aegyptium, quocum sibi diutina vitae consuetudo fuerat, cum is in Italiam venisset, ut semel interesset in ecclesia, dum Missa solemniter celebraretur. Assentitur ille, et Missae interfuit cum Christianis. Rogatus deinde in coetu, quid sibi de caerimoniis et solemnitate Officii videretur, respondit omnia recte et ex ordine praeter unum sibi videri facta; nullam enim caritatem in ea Missa esse servatam, cum unus solus, reliquis esurientibus, comedisset ac bibisset, nulla portione cibi ac potus reliquis impensa.

216 De Episcopo Hispano Qui Comedit Perdices Pro Piscibus

Episcopus Hispanus iter faciens die Veneris ad hospitium divertit, missoque servo qui pisces emeret, hic non reperiri eos venales, sed duas perdices patrono retulit. Ille eas emi et simul coqui, ac in mensam deferri iussit. Admiratus servus, qui eas emptas pro die Dominico crederet, quaesivit ab Episcopo, num eas esset esurus, cum tali die carnes essent prohibita. Tum Episcopus: 'Pro piscibus,' inquit, 'utar.' Multoque id magis admiranti responsum: 'An nescis,' ait, 'me Sacerdotem esse? Quid est majus, ex pane corpus Christi facere, an ex perdicibus pisces?' Factoque crucis signo, cum eas in pisces verti imperasset, pro piscibus usus est.

217 De Fatuo Dormiente Cum Archiepiscopo Coloniensi, Qui Dixit Eum Quadrupedem

Archiepiscopus Coloniensis defunctus habebat in deliciis fatuum, qui secum in lecto cubabat. Cum aliquando Monialis eodem in lecto jaceret, sensit fatuus, qui in inferiori parte jacebat, plures solito esse in lecto pedes. Tacto uno pede, quaesivit, cujusnam is pes esset. Suum esse respondit Archiepiscopus. Cum alterum, deinde tertium, quartumque tetigisset, omnes Archiepiscopus respondit suos esse. Tum ille festinus surgens ad fenestram prodiit, magna voce exclamans: 'Accurrite omnes ad videndum novum et insuetum monstrum. Noster enim Archiepiscopus quadrupes factus est!' Ita patroni turpitudinem detexit. Insanior est certo fatuo, qui fatuis delectatur.

218 Facetum Martini Pontificis In Oratorem Molestum

Petebat a Pontifice Martino V. Orator Ducis Mediolani nescio quid instantius, quod ille concedere nolebat. Cum Orator importunius instaret, sequebatur petendo Pontificem usque ad

cubiculi fores. Tum ille ut se ea molestia eximeret, posita ad genas manu: 'Ho! dentes summe doleo,' inquit, relictoque Oratore cubiculum ingressus est.

219 De Quodam Qui Damnabat Vitam Cardinalis Angelotti

Damnabat quidam multis verbis vitam et mores Angelotti Cardinalis defuncti. Fuit enim rapax et violentus, ut cui nulla esset conscientia. Tum ex adstantibus unus: 'Opinor,' inquit, 'Diabolum jam vorasse et cacasse eum saepius ob scelera sua.' Alter, vir facetissimus: -- 'Adeo mala caro ejus fuit,' inquit, 'ut nullus Daemon, quantumvis bono stomacho, illam prae nausea comedere auderet.'

220 De Fatuo Qui Militem Florentinum Irridebat

Erat olim Florentiae Equestris ordinis vir nobis notus, statura admodum parvus, et barba utebatur paulum prolixa. Quidam fatuus eum irridere coepit, et in staturam ac barbam jocari, quoties in ipsum in via incidisset, adeo importune, aliquando ut molestus esset. Hoc Equitis sentiens uxor, fatuum ad se vocatum optimo cibo farsit, vestemque dedit, rogans ne amplius illuderet viro. Promisit ille, et cum offenderet aliquando hominem, tacitus praeteribat. Hoc admirati adstantes ad loquendum irritabant: simul quaerentes cur nil, ut antea, loqueretur. Tum ille, digito ad osposito: -- 'Obturavit,' inquit, 'os meum, ut amplius nequeam loqui.' Optimus ergo ad conciliandam benevolentiam opifex est cibus.

221 Excusatio Sterilitatis Filiae Ad Patrem

Domini cujusdam uxor rejecta ac repudiata est a viro post annos aliquot ob sterilitatem. Cum in domum paternam rediisset, objurgavit eam secreto pater, quod non, et cum aliis, creandis liberis operam dedisset. Tum illa: -- 'Mi pater,' inquit, 'nulla hujus rei residet in me culpa: omnes enim famulos, etiam stabularios sum experta, an possem concipere, et nullius usus profuit mihi.' Doluit filiae fortunam pater procul existentis a sterilitatis culpa.

222 Johannis Andreae Adulterium Deprehenditur

Joannem Andream, Doctorem Bononiensem, cujus fama admodum vulgata est, subagitantem ancillam domesticam uxor deprehendit. Re insueta stupefacta mulier, in virum versa: 'Ubi nunc,' ait, 'Joannes, est sapientia vestra?' Ille nil amplius locutus: -- 'In vulva istius,' respondit, 'loco admodum sapientiae accommodato.'

223 De Fratrem Minorum Qui Fecit Nasum Puero

Romanus vir facetissimus, in coetu mihi confabulanti, retulit historiam risus plenam quae acciderat vicinae suae: "Frater," inquit, "Ordinis Minorum, nomine Laurentius, oculos conjecerat in adolescentulam formosam nuptam vicino" (et nomen retulit) "meo. Quaerens ulterius progredi, petivit a viro, ut primae prolis compater esset. Praesentiens Frater, qui omnia vestigia adolescentulae observabat, illam esse praegnantem, viro praesente, accessit ad mulierem, et

tanquam futurorum divinator, dixit et gravidam illam esse, et parituram quod plurimum moestitiae afferret. Mulier de foemina suspicans dictum: -- 'Etiam si foemella fuerit,' inquit, 'erit gratissima.' Aliud quid gravius moesto vultu Frater asseverans, scrupulum, quid esset, noscendi injecit mulieri; sed quo instantius futura rogabat, ille constantius se dicturum negabat. Tandem sua mala noscendi cupida mulier, clam viro, accersito Fratrem, multis precibus impetravit, ut sibi, quid id monstri esset, referret. Ille silentio opus esse dictitans, tandem ait illam masculum parituram et absque naso, quae est turpissima omnium in facie hominis nota. Exterrita adolescentula, et, numquid remedii adhiberi posset, petente, annuit ille, sed certa die opus esse, ut cum ea concumberet, et se suppleturum viri defectum, et puero additurum nasum. Quamvis durum id foeminae videretur, tamen, ne infans informis nasceretur, praestituta die, se subdidit Fratri. Et, cum ille nondum nasum perfectum esse diceret, saepius cum muliere concubuit. Illa, prae verecundia, cum staret immobilis, Frater moveri eam jubebat, ut ex confricatione magis nasus cohaereret. Tandem casu masculus ortus est, et naso admodum protento. Id admirante muliere, Frater nimiam naso perficiendo operam impensam dixit. Hoc ipsamet viro retulit, existimans rem infandam, filium absque naso deformatum nasci; quod et maritus laudavit, et operam compatri non est aspernatus."

224 De Mendacissimo Florentino

Erat Florentiae quidam adeo mendaciis assuetus, ut nunquam verum ex ore suo prodiret. Unus quocum saepius consueverat, multisque fallaciis usus erat, cum ei semel mendax obviam fieret, tamquam locuturus: 'Mentiris,' inquit ille. -- 'Quomodo mentior,' ait, 'qui nihil dixi?' Tum alter: -- 'Ego, si quid loqueris, aio.'

225 Zelotypus Quidam Se Castravit Ut Uxoris Probitatem Cognosceret

Quidam in civitate Eugubii admodum zelotypus, Joannes nomine, nesciebat quo maxime modo animadverteret, si uxor cum altero aliquo consuevisset. Excogitata calliditate zelotypis digna se ipsum castravit, eo consilio ut, si uxor postmodum concepisset, in adulterio fuisse convinceretur.

226 Sacerdos Offerentibus Quid Dicens Audiverit

Cum quidam Sacerdos Castri Florentini, in Offertorio, quod die solemni ex consuetudine recipiebat a populo, illud de more diceret offerentibus: '*Centum pro uno accipietis, et vitam aeternam possidebitis,*' unus senex Nobilis qui nummum dabat, auditis his verbis: 'Satis dicerem,' inquit, 'si tantum capitale (ut vulgo dicitur) redderetur mihi.'

227 Sacerdos Praedicavit Et In Numero Erravit, 'Centum' Pro 'Mille' Dicens

In eadem sententia Sacerdos quidam, cum exponeret populo suo Evangelium, referens Salvatorem nostrum quinque panibus quinque millia hominum saturasse, errore dixit pro quinque millibus quingentos. Tum clericus suus cum submurmurans dixisset eum in numero errasse, cum quinque millia Evangelium referret: -- 'Tace,' inquit, 'stulte, nam vix numerum, quem dixi, credent.'

228 Sapiens Dictum Cardinalis Avinionensis Ad Regem Franciae

Visum est mihi in has confabulationes nostras conferre salsum dictum Cardinalis Avinionensis, viri prudentissimi, quem, cum Pontifices Avinione morarentur, cum equi plures, strati phaleratique vacui sessoribus pro magnificentia praeirent, rogavit eum Rex Franciae indignabundus, numquid Apostoli ea pompa usi essent. Tum Cardinalis: -- 'Nequaquam,' respondit, 'sed Apostolos eo quoque fuisse tempore,' inquit, 'quo et Reges aliis moribus viverent, cum pastores essent et armentorum custodes.'

229 Terribile Factum In Lateranensi Ecclesia

Non confabulandi, sed a sceleribus deterrendi gratia, res monstro similis refertur. Quidam Religiosus, ex Ordine Augustinensium, Romanus, dum verba haberet ad populum hac Quadragesima, me adstante, hortareturque ad confessionem peccatorum, hoc miraculum sibi accidisse sex annis antea dixit. Cum noctu in basilica Lateranensi cum aliis surrexisset post mediam noctem, ad matutinas horas Deo canendas, ait vocem e sepulchro, quo antea 18 diebus quidam Romanus civis conditus fuerat, prodisse, saepius compellantem ut ad se adiret: illos ad primam vocem territos, tum paulum confirmato animo, quo vox trahebat, accessisse, ac subinde mortuum dixisse ne timerent, sed irent, calicemque afferrent et lapidem submoverent. Quo facto, surrexisse mortuum ac hostiam sacratam, quam ante mortem sumpserat, in calicem spuisse: tum dixisse se damnatum maximis cruciari poenis, eo quod matrem filiamque cognoverat, quae scelera nunquam fuisset confessus: his dictis cadaver recubuisse.

230 Praedicator Multum Clamans Quomodo Confundebatur

Quum Religiosus ad populum praedicans saepius, ut stultorum mos est, magna voce clamitaret, quaedam ex astantibus foeminis ad exclamantis veluti rugitum plorabat. Hac re saepius animadversa, Religiosus, existimans mulierem verbis suis, ex zelo Dei et conscientia, motam flere, ad se vocatam rogavit quae causa esset gemitus, et num verbis suis mentis spiritu agitata, lacrymas illas pias, ut putabat, effunderet. Illa vero vocibus et clamoribus ejus impulsam se acriter animo commoveri et dolere respondit: se enim viduam esse cui olim asellus a marito esset relictus, ex quo partem sui victus traheret; eum saepius, ut Religiosus ille consueverat, rugire die noctuque solitum: hunc defunctum se miseram sine subsidio reliquisse. Itaque cum praedicantem illum audiret magnis vocibus resonantem, similem illum voce asino suo videri, cujus recordatione commota ad flendum, etiam invita, impelleretur. Stultus ille, latrator potius quam praedicator, sua stultitia confusus abiit.

231 De Adolescentula Per Senem Maritum Delusa

Florentinus, jam senex, uxorem duxit adolescentulam, quae a matronis edocta, ut primo insultu noctis obsisteret viro, neque primo praelio arcem traderet, renuit congressum. Vir, ad navigandum plenis ad id impensa opera velis paratus, ubi illam renitentem cognovit, quaesivit cur sibi non obsequeretur. Cum virgo dolorem capitis causata esset, vir, demissa virga, in alium latum revolutus, usque ad diluculum dormivit. Puella sentiens se non amplius peti, dolensque consilium datum, et se postulanti non consensisse, excitato viro dixit, se non amplius dolere caput. Tum ille: -- 'At ego nunc doleo caudam,' respondit, uxore virgine, ut erat, relicta. Sanum

igitur consilium est accipere rem proficuam, cum datur.

232 De Reliquiis Bracarum Cujusdam Minoris

Res digna risu et ut confabulationibus inseratur nuper accidit Ameliae. Nupta mulier et mota, ut existimo, bene agendi conscientia, confitebatur peccata sua Religioso ex Ordine Minorum. Hic, inter loquendum, exarsit in concupiscentiam carnis, et, tandem multis verbis muliere in voluntatem suam traducta, quaerebatur facultas et locus rei conficiendae. Placuit ut mulier, se aegram fingens, hunc Fratrem pro Confessore ad se vocaret: consuesse enim solos ejusmodi homines relinqui, ut, remotis arbitris, quae ad animam spectant libera sit loquendi facultas. Illa, ficta aegritudine corporis, lectum ingreditur, dolorem pergrandem simulat, Confessorem accersit, qui, ut ad eam venit, cum caeteri abissent, solus solam saepius cognovit. Cum diutius morarentur, interventu aliorum, Frater, veluti nondum perfecta confessione, abiit, postridie reversurus. Redit, mulieris supra lecticam bracis positus, priorique modo peccata examinat. Vir nonnihil suspicans de tam longa confessionis mora, cubiculum ingreditur. Ille, subito interventu percussus, bracas oblitus abiit. Maritus, bracis visis, exclamat adulterum, non Fratrem esse, totaque domus ad bracarum aspectum facinus indignum conclamat. E vestigio Primarium conventus Fratrum vir clamitans convenit, indignum factum queritur, mortem malefico minatur. Alter, qui senex erat, iram comprimit, asserens illum in propriae familiae suumque dedecus exclamare; taciturnitate et reticentia esse opus, ut contegeretur crimen. Ille ita rem palam esse, repertis bracis, ait, ut nequeat celari. Senex ad id remedium profitetur: asserturum se enim illas S. Francisci bracas esse, quas Frater ad liberandam mulierem portavit: accessurumque eo cum processione et pompa, bracasque publice exinde reportaturum. Probato consilio, Primarius Fratres convocat, ac cum cruce vestibisque sacris domum illius accedit; bracasque devote capiens, et, tanquam reliquias religiosas, super peplum sericum suspensis manibus ferens, tum viro, tum matri, tum reliquis obviis exosculandas porrexit, et magna cum caerimonia et cantibus ad conventum deductas in sacrario cum caeteris reliquiis locavit. Detecto postmodum dolo, oratores ejus urbis questum eam injuriam venerunt.

233 De 'Brevi' Contra Pestem Ad Collum Suspendendo

Nuper, cum ivissem Tibur, cupidus videndi liberos, quos eo pestis causa ex Urbe miseram, audivi rem dignam risu et confabulationibus nostris. Paucis antea diebus, Frater quidam, ex his circulatoribus, in vicinis castellis ad rusticos praedicans, pollicebatur (erat enim pestis suspicio) se daturum eis certum, ut aiunt, *breve*, quod ad collum qui gestarent, nunquam peste possent perire. Stulta plebecula, hac spe commota, pretio quo poterant brevia redimentes, ad collum filo virgineo suspendebant. Edixerat autem Frater, ne quis breve ante diem decimum quintum reseraret; id si fecissent, virtutem amissurum. Multis contractis nummis, Frater recessit. Brevia postmodum lecta sunt, ut est cupiditas hominum nova cognoscendi; in eis vulgaribus verbis scriptum erat:

*Donna, se fili, e cadeti lo fuso,
Quando te fletti, tien lo culo chiuso.*

Haec sunt Latine:

*Mulier, si filas, et cadit tibi fusus,
Quando te flectis, tene culum clausum.*

Hoc omnium Medicorum praecepta exsuperat et medelas.

234 Angelotti Cardinalis Os Potius Claudendum Aperiebatur

Angelottus Romanus, admodum loquax et maledicus, nemini parcens erat. Cum culpa temporis, ne dicam stultitia hominum, Cardinalis factus esset, aliquandiu, ut moris est, in secreto consistorio Cardinalium tacuit: vulgo enim clausum os tenere novos Cardinales aiunt, donec Pontificis permissu loquantur. Cardinalis Sancti Marcelli certo die, cum ab eo quis petisset quidnam in consistorio egissent: -- 'Os,' inquit, 'aperuimus Angelotto.' Tum ego: -- 'Satius,' inquam, 'consultiusque fuisset illi os sera valida oclusisse.'

235 Equum Exquisitum Praestavit Redolphus Se Petenti

Ab Redolpho Camerinensi, cujus supra meminimus, quidam Nobilis ex Piceno dono petivit equum, cui tot conditiones ad pulchritudinem virtutemque adjecit, ut nullo pacto talis equus inter sua armenta reperiri posset. Tum Redolphus, quo illius voluntati satisfaceret, equam et stallonem (ut vulgo aiunt) ex suis elegit, atque ad illum destinavit: inquiring se ei instrumenta mittere, quibus equum suoapte modo conficeret, cum nullus ejusmodi prout postulasset inter suos reperiretur. Haec verba monent, ne adeo exquisita petamus, ut, aut difficilia sint, aut negentur honeste.

236 Contentio Mulierum Extorsit Dictum Risu Perdignum

Quaedam in Urbe (quam novimus) mulier corporis quaestu vitam ducens, habebat filiam grandiolem natu, admodum pulchram, quam Veneri dedicaverat. Orta inter ipsam aliquando et vicinam suam ejusdem professionis contentione, ad jurgia et verborum contumelias pervenerunt. Cum vicina, quorumdam majorum auxilio confisa, matri et filiae acriter minaretur, tunc illa, tacto filiae desuper femore: 'Hoc mihi salvet et custodiat Deus,' inquit, 'quam tuta omnia tua verba et minas contemno.' Optime quidem respondit; nam egregio patrocínio, et quo multi delectabantur, fidebat.

237 Sacerdos Laicum Delusit Se Capere Volentem

Sacerdos quidam meridie cum uxore rustici jacebat in lecto, sub quo latebat rusticus, ut Sacerdotem deprehenderet. Cum Sacerdos labore forsán nimio in quamdam levem vertiginem incidisset, nescius virum sub lecto absconditum: 'Ho! totum orbem terrarum mihi videor conspicerem,' inquit. Tum rusticus, qui pridie asinum perdiderat, injuriarum oblitus: -- 'Ho! respice, quaeso,' ait, 'an sicubi asinum meum forsán videas.'

238 Fulloni In Anglia Accidit Res Miranda Cum Uxore

Cum essem in Anglia, fulloni res ridenda, et haud rejicienda a nostris confabulationibus, contigit. Is cum uxorem haberet, multosque praeterea in familia juvenes atque ancillas, injecit animum in

unam earum, quae pulchrior atque venustior videbatur. Cum eam super coitu requisivisset saepius, illa rem detulit ad matronam. Ejus consilio assentitur patrono. Praestituta die atque hora, in locum secretum ac subobscurum, matrona latuit pro ancilla. Accessit vir, mulieremque cognovit, nesciens uxorem esse. Peracto opere, exiens a conclavi, quid egisset narravit uni ex junioribus, eumque hortatus est ut etiam ipse ancillam, prout credebat, subagigaret. Accessit ille, quem mulier pro viro accepit, nihil locuta. Cum post eum et item alter a viro missus esset, mulier existimans maritum esse, tertium congressum passa est: et ipsa virum, et illi ancillam esse opinati. Digressa occulte postmodum a loco mulier, noctu maritum redarguebat, qui in se esset remissus, et in ancillam adeo libidinosus, ut una die ter se pro ancilla cognovisset. Dissimulavit vir errorem suum, et uxoris, cujus ipse causa fuisset, peccatum.

239 Confessio Tusca, Et Postea Brusca

Quidam, qui sororis pudicitiae non pepercerat, Romam accessit, criminis confitendi causa, Confessorem quaerens, qui Tuscus esset. Ostenso homine, accessit, primum petens an Tusce loqui nosset. Annuente illo, inter caetera delicta dixit, se, cum esset in cubiculo solus cum sorore, tensa balista sagittasse illam. Tum Confessor: 'O scelus!' inquit, 'numquid sororem occidisti?' -- 'Minime,' respondit ille, 'sed tu non intelligis sermonem Tuscum.' -- 'Novi satis,' alter ait, 'cum sim ibi genitus; nempe dixisti, tensa te balista sagittasse sororem.' -- 'Non,' ait ille, 'ita intelligo, sed dico me tetendisse balistam, et imposuisse sagittam, et in sororem misisse.' -- 'Num tu vulnerasti eam,' inquit, 'aut faciem, vel aliquod membrum laesisti?' -- 'Oh!' respondit ille, 'nescis sane loqui Tusce.' Atqui alter: -- 'Verba quae dicis novi, sed cave ne tu loqui Tusce ignores.' -- 'Non dico,' inquit, 'me sororem vulnerasse, sed sagittam tensa balista emisisse.' Cum Confessor dissimularet se ignorare quae dicerentur, ille vero iteraret Confessorem non intelligere Tuscam linguam, repetens balistae et sagittae casum: -- 'Nisi aliis verbis utaris,' ait Sacerdos, 'quid sentias ignoro.' Tum alter, cum diu pudore tergiversatus esset, tandem vulgaribus verbis dixit aperte sororem suam se compressisse. Hic alter: -- 'Nunc tu loqueris Tusce apud Tuscum,' inquit, 'te plane intelligo,' et imposita erroris poenitentia recessit. Mali animi est pudorem verbis ostendere, cum opere impudicus fueris ac scelestus.

240 De Praelio Picarum Et Gracularum

Hoc anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo, mense Aprili, res monstro similis accidit in confinibus Galliae, et ejus quae nunc dicitur Britannia. Picae et graculae aves, aciebus instructis in aere, immenso clangore, per universum diem acriter pugnarunt. Victoria penes graculas stetit: ex eis ad duo, ex picis ad quatuor millia, in terra mortuae sunt repertae. Quid id prodigium ferat tempus ostendet.

241 Facetum Dictum Francisci Genuensium Filiis

Franciscus Quartensis, mercator Florentinus, morabatur Genuae cum uxore et familia. Filii sui macilenti erant et graciles corpore, Genuensium autem filii habitiores sunt et robustiores. Petivit quidam ex eis ab Francisco, cur filii ejus ita tenues essent, et natura imbecilles, Genuensium vero non ita. Tum ille: -- 'Causa est,' inquit, 'in promptu. Ego enim solus filios meos creo: vobis vero ad filios procreandos multorum subsidia opitulantur.' Genuenses quippe, sumpta uxore, paulo post navigant, uxores desolatas viris aliorum praesidio, ut aiunt, annis pluribus relinquentes.

242 De Facto Cujusdam Florentini Justo, Sed Bruto

Retulit in coetu hominum mihi familiaris, Florentinum quemdam, quem nosset, uxorem formosam habuisse, quam multi proci sequerentur. Ex eis quidam *serenatas* (ut aiunt) cum saepius noctu, accensis cereis, ut moris est, in via prope domum facerent, vir admodum facetus, semel tubarum cantu excitatus, cum surrexisset de lecto, ad fenestram cum uxore accessit, conspectaque tumultuantium et lascivientium turba, magna voce astantes rogavit, ut ad se paulum respicerent. Cum oculos omnes ad eam vocem sustulissent, ille, exerto, et extra fenestram porrecto, cujus erat copiosus, Priapo, inanem laborem et inutilem sumere illos ait, cum viderent se habere unde, etiam uberius quam ipsi possent, uxori satisfaceret; itaque consulere ut huic eorum molestiae parcerent non profuturæ. Quo perfacete dicto, ab superflua cura destiterunt.

243 Faceta Petitio Senis Laborem Copulae Non Potentis

Adjecit et alter similem fabellam Florentini quoque vicini sui, qui, cum esset aetate matura, uxorem duxerat juvenem. Hanc amare coepit Ricardus de Albertis, adolescens nobilis ac pulcher, qui similiter sono et cantu perstreptentibus in via plurimis, noctu hominem a somno saepius excitabat. At is demum ad Benedictum adolescentis patrem profectus, narrata priori eorum consuetudine, et mutuis officiis, post longam querelam, graviter questus est se nihil commeruisse, cur ejus filius se vellet occidere. Ad haec pater stupens, idque aegro animo ferens, respondit se id facinus prohibiturum, et simul rem sibi narrari postulat, quo filium posset acrius comperere. Tum alter: -- 'Uxorem meam,' inquit, 'deperit filius tuus, saepiusque suis tibiis et sonitu, me et uxorem noctu dormientes suscitavit, quo fit ut vigilans, ultra quam vires ferant, uxorem, ne alium appetat, coner subagitare. Quod cum saepius accidat, jam deficiunt ad id opus vires. Ita ni tuus filius ab incepto desistat, jamjam tali vigilia peream necesse est.' Quo joci genere Ricardus, patris monitu, haud amplius illi molestus fuit.

244 Facetum Dictum Meretricis Adjocans Venetis

Cum essem in balneis Petriolanis, audivi a quodam erudito viro dictum meretricis facetum sane et haud indignum reliquarum confabulationum nostrarum societate. Scortum erat, ait, Venetiis vulgare, ad quod cum diversarum gentium viri accederent, quaesivit ab eo aliquando quispiam, quae sibi hominum natio majori membro virili esse videretur. Mulier e vestigio Venetos respondit. Cum causa postularetur: -- 'Quoniam,' inquit, 'tam longo sunt Priapo, ut cum saepius in remotissimis et ultra mare sitis provinciis versentur, tamen cum uxoribus coeant et procreent filios.' Jocata est in illorum uxores, quas viri provecti peregre relinquunt aliorum curae.

245 Facetum Dictum Indocti Doctiores Confundens

Cum plures Religiosi de aetate et operibus Salvatoris Nostri, et quomodo post trigesimum annum praedicare coepisset, colloquerentur, quidam rudis litterarum astans, quaesivit ab eis, quid primum Jesus fecisset, postquam trigesimum annum excessit. Cum alii haesitarent, alii varia sentirent: -- 'Nescitis,' inquit ille, 'cum vestra doctrina, rem cognitu facilem.' Petentibus illis quid primum egisset: -- 'Trigesimum primum annum ingressus est,' ait. Omnes, oborto risu, facetum hominis dictum commendarunt.

246 Salsum Hominis Dictum Contra Mercatorem Alios Accusantem

Carolus Gerii, mercator Florentinus, ex his mensariis qui Romanam Curiam sequuntur, accessit Avinionem, prout moris est mercatorum, qui in diversis provinciis negotiantur. Romam deinde reversus, in convivio domesticorum, cum quaereretur ab eo inter loquendum de vita et moribus Florentinorum qui Avinione commorabantur, respondit, gaudere omnes et alacres esse. Nam quicumque ibi per annum fuissent, dementes efficerentur. Tum Aldigherius quidam ex convivis, homo perfacetus, rogat Carolum, quanto tempore ibidem commoratus esset. Cum sex menses tantum Carolus respondisset, tum alter: -- 'Peroptimo,' inquit, 'ingenio, Carole, extitisti, qui quod alii anno solent, tu sex mensibus perfecisti.' Risimus omnes salsum hominis dictum.

247 Bellum Mulieris Responsum, Ad Juvenem Suo Amore Flagrantem

Juvenis quidam Florentiae amore calebat mulieris nobilis atque honestae, quam ad templa et quocumque diverteret frequentius sequebatur. Hic cum sociis tempus sibi et facultatem dari optabat, quo mulierem paucis verbis a se ad id praemeditatis et compositis posset alloqui. Cum semel ad templum Sanctae Luciae festo die mulier accessisset, tempus loquendi adesse ex sociis unus ait, cum vidisset eam solam ad fontem adire aquae benedictae. Ille, velut amisso spiritu stupidus, hortante atque impellente socio, prope mulierem adiit; oblitusque eorum quae cogitaverat, cum neque auderet loqui, socius autem instaret ut saltem verba funderet, tandem ille: 'Domina,' inquit, 'ego sum vester servitialis.' Ad quae verba subridens foemina: -- 'Satis superque satis famulorum habeo,' inquit, 'domi, qui et eam verrant, et scutellas ac incisoria lavent, ut pluribus mihi servitilibus non sit opus.' Riserunt socii et hominis stupiditatem, et bellum mulieris responsum.

248 De Nobili Quodam Tempore Friderici Imperatoris In Armis Praesumentis, Sed Nihil Facienti

Tempore quo Fridericus Imperator (qui in Bonconvento, oppido Senensium, defunctus est) prope Florentiam ad secundum lapidem, ut hostis, castra posuit, multi Nobiles ad tuendam patriam arma sumpserant, castris hostium insultantes. Tum quidam ex nobili familia jactabundus, ascenso equo armatus, extra portam extenso cursu ferebatur, increpans tarditatem caeterorum, qui veluti timidi tardius incederent, seque, vel solum, clamitans cum hostibus congressurum. Cum milliaris spatium currendo et vires jactando transegisset, videns quosdam vulneribus confectos ab hostibus reverti, coepit paulatim incedere tardius, lentoque passu proficisci. Audito vero hostium cum civibus pugnantium clamore, conspectaque a longe praeliantium pugna, gradum fixit immobilis. Cum quidam, qui ejus jactoris verba audierant, cur non ulterius progrediretur ad pugnam, rogarent, tum ille, cum aliquamdiu siluisset, tandem: -- 'Non sentio me ita fortem et strenuum armis esse,' ait, 'ut persuaseram mihi.' Pensitandae sunt animi et corporis vires, neque plus promittendum quam queas praestare.

249 De Homine Qui Per Biennium Cibum Non Sumpsit, Neque Potum

Vereor, ne id quod his nostris confabulationibus inseram, caeteris fabulosius videatur, cum et natura repugnet, et praeter modum videatur mirandum: ita tamen verum esse compertum est, ut impudens videatur id negare. Quidam, Jacobus nomine, qui tempore Eugenii erat in Romana

Curia, ex his qui vocantur copistae, cum ad patriam Noviomum in Galliam redisset, incidit in morbum gravem et diuturnum. Longior esset futura narratio, si omnia recensere velim, quae sibi in morbo asserit contigisse. Tandem post annos multos, anno sexto Nicolai Quinti Pontificis, reversus ad Curiam, ut iret ad sepulcrum Salvatoris nostri, nudus et inops (nam in itinere inciderat in latrones) divertit apud Curiales, vicinos meos, honestissimos viros, quibus antea fuit notus. Is biennio jam post morbum dicit se neque comedisse, neque potasse, cujus rei periculum factum est saepius. Homo macerrimus est, sacerdos, et sanae mentis, ut qui Officium continue dicat, et Missam, me vidente, audierit. Plures et Theologi et Physici cum eo serio locuti sunt; rem contra naturam aiunt, sed ita certa est, ut pervicacis sit id non credere. Concursus fit ad eum quotidie hominum percontantium. Multi varia de hoc sentiunt. Sunt qui existiment corpus illud a Daemone habitari. Sed nulla signa in eo apparent nisi prudentis viri, probi et religiosi, qui hodie quoque scribendi exercitio vacat. Alii humorem melancholicum asserunt praebere nutrimentum. Cum ipso egomet saepius sum collocutus, falsa existimans quae dicebantur. Is quoque non minus quam reliquos se ex hoc admirari dicit. Non tamen subito, sed paulatim in hanc consuetudinem descendit. Ego rem hanc magis admirarer, nisi revolvens nuper quosdam annales, quos in Gallia olim transcripsi, legissem idem tempore Lotharii Imperatoris, et Paschalis Papae, anno Domini octingentesimo vicesimo secundo, contigisse. Puellam scilicet duodecim annorum in territorio Tullensi, villa Commertiaci, post assumptam in Paschale sacram communionem, primo per decem menses pane, deinde triennio potu et cibo abstinuisse, postea redisse ad priorem vitam. Quod et iste de se sperat futurum.

250 Facetum Hominis Dictum Asinum Erudire Promittentis

Tyrannus ad exhauriendum bona subditi, qui se multa facturum jactabat, sub gravi poena praecepit ut asinum litteras doceret. Ille impossibile ait fore, nisi multum temporis sibi in erudiendo asino concederetur; petere quantum vellet jussus, decennium impetravit. Deridebatur ab omnibus, quoniam rem impossibilem suscepisset. Ille amicos solatus: -- 'Nil timeo,' inquit; 'nam interim, aut ego moriar, aut asinus, aut Dominus.' Quibus verbis ostendit salutare esse rem difficilem in longum protrahi ac differri.

251 De Sacerdote Epiphania An Vir Esset Vel Foemina Ignorante

Socius quidam, in festo Epiphaniae, narravit mihi stultitiam ridiculam Sacerdotis contribulis sui. "Sacerdos fuit," inquit, "qui populo nuntians Epiphaniae celebritatem futuram: 'Cras,' ait, 'summa devotione veneremini Epiphaniam; maximum est enim et praecipuum festum: nescio autem vir fuerit an foemina, sed quisquis extiterit, a nobis est summo timore hic dies custodiendus.' "

252 Foenerator Fictae Poenitentis In Pejus Recidivat

Ad senem quemdam foeneratorem qui artem se desiisse simulabat, accessit homo pecuniam sub foenore sumpturus, tulitque in pignus crucem argenteam, in qua erat portiuncula ligni crucis Salvatoris Nostri. Cum peteretur a sene, ut pecuniam mutuaret: -- 'Ego,' inquit, 'ab hoc foenerandi peccato jam destiti: sed vade ad filium meum,' ait (et nomen dixit), 'qui animam profligavit ac perdidit, ut mutuet tibi'; misitque domesticum cum illo domum filii monstraturum. Cum jam abissent longius: -- 'Heus tu,' inquit domestico, 'dic filio, ut meminerit deducere de pretio ligni pondus.' Noluit qui ad conscientiam se redisse finxerat, ut filius lignum crucis

aestimaret pro argento, id vilius argento putans. Facillime res in suam naturam redit.

253 De Aviculis Fabulose Et False Loquentibus

Quidam aviculas capiens in cavea reclusas, stricto manibus capite, interficiebat. Interim casu lacrymas coepit emittere. Tum una ex reclusis ait reliquis: 'Bono sitis animo, nam, ut video lacrymantem, nostri miseretur.' Hic senior ex eis: -- 'O fili,' inquit, 'non ad oculos respice, sed ad manus'; non ad verba, sed opera, monstrans esse a nobis respiciendum.

254 Catenis Variis Collum Cingens Stultior Aestimatur

Ordinis Equestris quidam Mediolanensis miles gloriosus, qui Orator Florentiam venerat, quotidie in ostentationem diversas varii generis ad collum catenulas deferebat. Hujus inanem jactantiam videns Nicolaus Niculus, vir doctissimus et ad jocos promptus: 'Caeteri stulti,' inquit, 'unica catena se vinciri patiuntur; hujus autem insania tanta est, ut non sit una catena contentus.'

255 Facetum Redolphi Domini Camerini In Oratorem Contra Omnes Dominos Invectum

Bello quod inter Pontificem Gregorium XI et Florentinos est gestum, Piceni, et omnes ferme Ecclesiae Romanae provinciae a Pontifice desciverunt. Orator Racanatensium, Florentiam missus, gratulatus est apud Priores ob restitutam eis Florentinorum ope libertatem, multisque verbis in Pontificem suosque ministros, et praecipue contra dominos omnes et tyrannos invectus est, malum eorum regimen et facinora detestatus, nulloque adhibito respectu Redolphi Domini Camerini, qui tum Dux Florentinorum aderat, cum ejusmodi legati audirentur, diutius versatus est in eorum detractatione. Tum Redolphus petens ab Oratore illo, cujus facultatis aut artis esset, cum ille Doctorem juris civilis se diceret, quaesivit quantum tempus legibus operam dedisset. Cum ille amplius decennio respondisset: -- 'Quam vellem,' inquit, 'ut saltem annum discretionis studio vacasses!' Stultum illum judicans qui tam multa, se praesente, contra Dominos effudisset.

256 De Arbitro in Cujus Domo Porcus Oleum Effudit

Quidam arbiter inter duos litigantes datus accepit ab uno urceum olei, ea spe et pollicitatione ut pro se judex sententiam ferret. Hoc sentiens alter porcum pinguem misit judici, rogans ut sibi faveret. Tulit ille sententiam pro porco, quod sentiens alter cum et fidem datam, et oleum missum apud judicem quereretur: -- 'Porcus,' inquit, 'quidam domum venit, et invento oleo vas effregit, atque oleum dissipavit, adeo ut tui fuerim oblitus.' Optima venalis responsio.

257 Juvenularum A Calvo Quodam Faceta Delusio

Juvenulae duae cum essent ad fenestram domus supra hortum sitae, exhibat hortulanus senex et calvus ad sumendum cibum; quem cum illae vidissent calvitie deformem, petiverunt, numquid cuperet scire quo pacto pili nascerentur. Assentiente illo, joci causa dixerunt, ut caput aliquando urina lavaret uxoris. Tum ille ad eas versus: -- 'Hanc vestram medelam,' ridens inquit, 'nequaquam veram esse, uxoris meae factum comprobavit, quae, licet hunc socium meum'

(Priapum manu ostendens) 'jam triginta laverit annis, tamen nulli in eo pili exorti sunt.'

258 De 'Messer Perde il Piato'

Henricus de Monteleone causarum procurator erat in Romana Curia, senex admodum, et parum in ea facultate scitus; unde *Messer Perde il Piato* vulgari verbo appellabatur, id est, *Dominus perdens lites*. Cum semel ab eo postularetur, cur in singulis semper causis succumberet: -- 'Quoniam nullus,' inquit, 'nisi injustitiam petens, litigaturus patrocinium meum petit, ut necesse sit me semper esse in causa iniqua inferiorem.' Faceta ignorantis hominis responsio.

259 De Cantilena Tabernariis Placita

Viator quidam esuriens, cum divertisset ad cauponulam, ventrem cibo potuque farcivit. Petente pecuniam caupone, ait nullos sibi esse nummos, sed cantilenis se satis esse facturum. Tabernarius non cantu, sed pretio sibi opus esse respondit. Tum alter: -- 'Si eam cantionem dicam, quae placeat tibi, num ea pro pecunia contentus eris?' Annuente caupone, coepit viator canere; et, an ea placeret, interrogavit. Cum abnuisset caupo, unam et deinde alteram cecinit. Nullius cantu sibi satisfieri ille testatus est. Hic viator: -- 'Dicam ergo nunc,' inquit, 'eam quae tibi sit placitura.' Et, arrepto marsupio, dissolventi similis, coepit cantionem, qua viatores uti consueverunt: *Metti mano alla borsa e paga l'oste*, hoc est: *Mitte manum ad bursam, et satisfac hospiti*. Hac dicta, numquid illa sibi placeret, rogat: -- 'Placet haec,' inquit hospes. Tum viator: -- 'Satisfactum est tibi ex pacto,' ait, 'postquam haec cantio placuit tibi.' Ita absque solutione discessit.

260 De Gracili Quodam Faceta Responsio

Civis noster, mihi amantissimus, est admodum gracili corpore ac macilentus. Admirante quodam hujus rei causam, facetus quidam: -- 'Quid miraris,' inquit, 'quod est in promptu? Semihoram quippe hic in cibo capiendo sedet: in secessu ad emittendum duas.' Mos enim illi est, ut plurimum temporis in purgando ventrem impertiatur.

261 Faceta Responsio Mulieris Pugillare Vacuum Habentis

Matrona e nostris honestissima mulier, quaerenti tabellario numquid litterarum ad maritum dare vellet, aberat enim longius Reipublicae Legatus: -- 'Quomodo,' inquit, 'possum scribere, cum vir calamum detulerit secum, pugillare vacuum reliquerit?' Faceta atque honesta responsio.

262 Ridenda De Paucitate Amicorum Dei Responsio

Ad aegrum quemdam civem nostrum perfacetum, qui gravi morbo diutius torquebatur, accessit Religiosus, hortandi gratia. Cum vero, inter caetera consolationis verba, dixisset solere Deum, quos diligeret, hoc pacto castigare, et incommodis afficere: -- 'Non mirum est,' inquit aegrotus, 'si tam paucos amicos habet, habiturus, si ita tractaret eos, etiam pauciores.'

263 De Sancti Antonii Fratris Et Laici Ac Lupi

Religiosus, ex his quaestuariis, qui pro Sancto Antonio eleemosynam petunt, agricolae ad dandum sibi nescio quid frumenti persuasit, ea pollicitatione, ut assereret res omnes suas, et oves praesertim, per eum annum salvas atque incolumes fore. Hujusmodi rusticus promissis fidens, cum oves licentius vagari permisisset, lupo plures ex eis comedit. Qua ex re indignatus villicus, cum anno altero quaestarius pro frumento rediret, negavit se quicquam daturum, et simul questus est inanes suas fuisse pollicitationes. Sciscitanti causam respondit ab lupo oves suas raptas. -- 'Lupus?' inquit alter, 'ho! ho! mala ea bestia est, et absque fide: cave tibi ab ea. Non enim Sanctum Antonium tantum, sed ipsum Christum, si posset, falleret.' Stultum est in his fidere quorum exercitium in fraudando consumitur.

264 De Mirabili Confitentis Et Confessoris Reciproca Pro Satisfactione Recompensa

Quidam, seu serio, seu Sacerdotis eludendi causa, ad eum adiit, asserens se peccata sua confiteri velle. Jussus dicere quae meminerit, ait nescio quid se ab altero clam furatum, sed illum multo plus eripuisse sibi. Tum Sacerdos: -- 'Alterum,' inquit, 'pro altero computetur, quoniam pares in facto estis.' Addidit etiam se alium quempiam verberasse, et se quoque ab eo vapulasse: eodem modo Sacerdos parem fuisse culpam et poenam dixit. Plura simili modo cum retulisset, semper Sacerdos alterum pro altero compensandum respondebat. Tum ille: -- 'Restat nunc peccatum,' inquit, 'ingens, quod dicere vereor atque erubesco, tibi praesertim ad quem maxime spectat.' Cum hortaretur eum Sacerdos ad deponendam verecundiam et libere profitendum crimen, et ille diutius recusasset, tandem motus exhortantis Sacerdotis verbis: -- 'Ego,' inquit, 'sororem tuam cognovi.' Tum Sacerdos: -- 'Et ego matrem tuam saepius futui, itaque ut de reliquis alterum alterius culpam luat.' Ita paritas criminum peccatorem absolvit.

265 Duorum Florentinorum Adolescentum Dicta Sale Respersa

Adolescens quispiam Florentiae deferebat ad Arni fluvium retia quibus lavantur lanae. Huic obvius dicax puer, ridendi illius gratia: 'Ad quod cum isto rete pergis aucupium?' inquit. Tum ille: -- 'Ad exitum Lupanaris vado, ut extenso ibi rete capiam matrem tuam.' E vestigio alter: -- 'Heus tu,' inquit, 'pulsata locum diligentius; nam et ibi quoque reperies tuam.' Duo eodem sale respersa dicta.

266 Adolescentis Confusio Super Mensam Mingentis In Convivio

Nobilis in Hungaria adolescens a quodam Nobiliore, quocum sibi affinitas erat, ad prandium vocatus, accessit cum famulis, equester, cum abesset longius. Cum ex equo descendisset, viri mulieresque obviam prodeunt, adolescentemque e vestigio (nam hora erat tardiuscula) ad triclinium convivio paratum deducunt. Lotis deinde manibus, in mensa inter duas formosas adolescentulas, hospitis filias, adolescens collocatur. Qui, mittendae urinae cupiditate, prae pudore tacita, neque ulla data divertendi facultate, inter edendum, mingendi cruciatu ita vexabatur, ut ciborum cogeretur oblivisci. Cum omnes suspensum animi remissionemque in sumendo cibo viderent, ac hortarentur ad edendum, ille, dolore motus, dextra manu subter mensam posita, Priapum occulte exertum in alteram ocrearum, mingendi gratia, demisit. Adolescentula dextrae proxima: 'Heus! ede alacriter,' inquiens, brachiumque subito prehensens,

manum extulit supra mensam virilia tenentem mingentia, ex quo urina mensam respersit. Ad tam insolitum spectaculum risere omnes, adolescente admodum verecundia perfuso.

267 Callida Consilia Florentinae Foeminae In Facinore Deprehensae

Mulier, prope Florentiam, publici hospitis uxor admodum liberalis, cum quodam cujus usu tenebatur, cubabat in lecto. Accessit interim de improviso et alter, idem quod prior facturus, quem praesentiens scalas ascendentem mulier, atque obviam facta, acriter eum jurgare, et ulteriore aditu arcere coepit, asserens non esse tempus quo ei satisfieri posset, rogansque ut e vestigio abiret. Renitendo altercandoque cum aliquandiu tempus tereretur, superveniens vir quid sibi ea vellet concertatio quaesivit. Foemina ad fallendum prompta: -- 'Hic,' inquit, 'irato animo vult superius ingredi, ad vulnerandum quemdam qui in domum confugit, quem adhuc continui, ne tantum facinus hic patraretur.' Ille qui latebat, his auditis verbis, sumpto animo, coepit minari, se ulturum injuriam dictitans. Alter interim priori vim et minas intentare se simulabat. Vir stultus, quaesita causa dissentionis, onus rei componendae suscepit, et cum ambobus una collocutus, pacem composuit, solvens etiam de suo vinum, ut uxoris adulterio adderet jacturam potus. Callida profecto sunt foeminae consilia in facinore deprehensae.

268 De Mortuo Vivo Ad Sepulchrum Deducto, Loquente Et Risum Movente

Erat Florentiae stultus, cognomine Nigniacus; haud nimium insaniens, et satis jucundus. Juvenes quidam faceti, joci gratia, cum vellent ei persuadere illum graviter aegrotare, re composita, exeunti mane domo unus obviam fit, petens numquid ei mali, cum facie esset immutata et pallida, contigisset: -- 'Nequaquam,' respondit stultus. Cum paulum processisset longius, alius ex composito rogavit, an teneretur febricitante, cum macra esset facie et aegritudinem ostentante. Coepit addubitare stultus, verum quod dicebatur credens. Cum prodiret timidus lento passu, tertius, ut constitutum erat, conspecto illo: 'Vultus,' ait, 'tuus indicat te febricitante torqueri, et gravem morbum esse.' Timuit ille magis, et, represso pede, cogitabundus animo pendebat, an febricitaret. Tum superveniens quartus gravissime illum infirmari affirmavit, mirarique se dixit non illum in lecto esse, suasitque ut domum e vestigio rediret, seque socium obtulit, ut fratrem curaturum. Retrocessit stultus, tanquam magna gravatus infirmitate, et lectulum ingressus, expiranti similis videbatur. Caeteri socii e vestigio domum prodeunt, dicentes, recte illum, qui in lecto se collocasset, fecisse. Paulo post supervenit quidam, qui se medicum profitebatur, et, tacto pulsu, testatus est aegrum paulo post ex eo morbo periturum. Deinde circumstantes lectum omnes dicebant alter alteri: -- 'Jam iste incipit mori, jam pedes frigescent, lingua balbutit, et caligant oculi,' statimque: 'Expiravit. Claudamus igitur oculos, et componamus manus, et ad sepeliendum feramus,' et: 'O quam magna jactura in istius obitu facta est! Bonus enim et amicus noster.' Et se invicem consolabantur.

Stultus, ut defunctus, nihil locutus, persuaserat sibi ipsi mortuum se esse. Posito in feretro, cum juvenes illi per urbem portarent, petentibus caeteris quidnam rei esset, se Nigniacam mortuum ad sepulchrum ferre dicebant. Inter petendum, multi ad ludum concurrebant, cum omnes Nigniacam mortuum ad sepulturam deferre dicerent. Unus ex tabernariis: 'O quam mala bestia fuit, et fur pessimus,' ait, 'dignus certe suspendi laqueo!' Tum stultus cum haec audisset, erecto capite: -- 'Si

vivus essem, sicut sum mortuus,' inquit, 'dicerem, furcifer, te per gulam mentiri.' Qui eum portabant, oborto risu maximo, hominem in feretro reliquere.

269 De Dubio Sophismate

Disserebant ambulantes socii duo, utrum major esset, coitusne voluptas, ane ventris secessus. Conspecta muliere, quae congressum hominum haud aspernata fuerat: 'Percunctemur hanc,' alter ait, 'utramque rem expertam.' -- 'Minime,' inquit alter, 'haec est idonea ad hanc rem judicandam: multo enim fuit saepius quam cacavit.'

270 De Molendinario Ab Uxore Decepto Et Quinque Ovis Refecto

Allicietur superioribus confabulatio Mantuae inter omnes nota. Est juxta urbis pontem mola, cujus magister Cornicula dicebatur. Is in ponte post coenam, ut aestas erat, sedens, transeuntem puellam rusticanam aetate maturam, veluti errabundam, conspicatus, hortatur, cum hora esset tarda, et sol in occasum vergeret, ut apud uxorem diverteret. Cum annuisset illa, accito famulo, duci eam ad uxorem jubet, darique coenam, et in certo cubiculo locari. Remisso famulo, cum intelligeret uxor virum ad adolescentulam adjecisse animum, ea in suo lecto collocata, ipsa in idem cubiculum dormitum proficiscitur. Vir de industria ad multam noctem cum vigilasset, existimans dormire uxorem, clam domum reversus, cubiculum ingreditur, ignarusque doli, uxorem tacitus tacitam subagitavit. Egressus, quod egerat famulo dixit, ipsum ad idem certamen cohortatus: ipse patroni uxorem cognovit. Cornicula, ad solitum cubiculum divertens, lectum silens intravit, ne uxor, ut putabat, excitaretur. Mane quam primum surgens, tacitus abiit, existimans se puellam cognovisse. Hora deinde prandii, cum redisset ad domum, uxor in primis sibi quinque recentia ova ad sorbendum dedit. Admiratus vir rei novitatem, cum quid id sibi vellet percontaretur, illa, vultu hilari, pro numero milliarium, quae ea nocte confecerat, totidem ova sibi offerre inquit. Sensit ille se suo laqueo captum, ac simulans ab se solo uxorem cognitam, tamen ova sumpsit. Accidit plerumque ut suomet dolo castigetur improbi.

271 Pulchrum Dictum Pulchritudinem Mentiens

Ibant per viam Florentiae colloquentes socii duo, quorum unus erat oblongus et corpulentus, ac facie subnigra. Is, conspecta adolescentula cum matre ambulante: 'Haec,' inquit jocandi gratia, 'juvencula formosa est admodum ac venusta.' Illa ad haec verba insolentior facta: -- 'Nequaquam hoc de vobis dici posset,' respondit. -- 'Imo recte,' inquit alter, 'si quis, prout ego feci, vellet mentiri.'

272 Facetum Mulieris Responsum, Sed Parum Honestum

Narravit mihi quidam familiaris Hispanus dictum mulieris salsum, quod mihi visum est nostris confabulationibus adjiciendum. Duxerat viduam in uxorem vir quidam aetate provector, qui prima nocte, dum matrimonio fungeretur, percipiens uxoris cellam uberiorem quam putarat: 'Mea uxor,' inquit, 'haec tua curia amplior est numero gregis mei.' Tum mulier: -- 'Hoc,' ait, 'tua culpa accidit. Nam vir meus qui obiit (misereatur Deus animae suae!) ita hanc adimplebat curiam, ut haedi persaepe extra tabulata pro loci angustia prosilire cogentur.' Responsum salis et venustatis plenum.

273 De Dentibus Casum Minantibus Similitudo Obscena

Episcopus mihi notus senior querebatur quosdam dentes sibi cecidisse, quosdam ita labare, ut eorum casum timeret. Tum unus e familia: 'Ne timeatis,' inquit, 'dentium casum.' Petenti causam Episcopo: -- 'Quia testiculi mei,' respondit, 'jam quadraginta annis pependerit, casuris similes, et tamen nunquam ceciderunt.'

Conclusio

Visum est mihi eum quoque nostris confabulationibus locum adjicere, in quo plures earum, tanquam in scena, recitatae sunt. Is est *Bugiale* nostrum, hoc est, mendaciorum veluti officina quaedam, olim a Secretariis institutum, jocandi gratia. Consuevimus enim, [a] Martini Pontificis usque tempore, quemdam eligere in secretiori aula locum, in quo et nova referebantur, et variis de rebus, tum laxandi ut plurimum animi causa, tum serio quandoque, colloquebamur. Ibi parcebatur nemini, in lacessendo ea quae non probabantur a nobis, ab ipso persaepe Pontifice initio reprehensionis sumpto: quo fiebat ut plures eo convenirent, veriti ne ab eis ordiremur. Erat in eo princeps fabulator Razellus Bononiensis, cujus nonnulla in confabulationes coniecimus; Antonius item Luscus, qui saepius inseritur, vir admodum facetus; Cinciusque Romanus, et ipse jocis deditus. Nos quoque plura e nostris addidimus non insulsa. Hodie, cum illi diem suum obierint, desiit *Bugiale*, tum temporum, tum hominum culpa, omnisque jocandi confabulandique consuetudo sublata.

Finis